


10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20  
Censo  
rinus  
Logica  
Vernei



4 B<sup>11</sup>, 113 55.





102

FURFUR  
LOGICÆ VERNEIANÆ.

I D E S T:  
ERRORES, ABSURDITATES, INEPTIÆ  
ALOYSII ANTONII  
VERNEII  
IN OPERE INUTILI  
DE  
RE LOGICA

Ad usum Lusitanorum Adolescentium.  
AUCTORE  
VICTORIANO CENSORINO



PAMPELONE.  
Apud Hærédes de MARTINEZ,  
Bibliopólas in Vico de Navarrería.

Anno MDCC LII.  
*Superiorum permissu.*

Универзитет Сарајево  
Библиотека

Универзитет Сарајево  
Библиотека



ИСТОРИЈА СЕЛСКОГ  
УМЈЕТНОСТИ

Универзитет Сарајево

ВЕ ГЕОГРАФИЈА  
ДЕ

ИЗ ОБЛАСТИ ИСТОРИЈЕ

ДЕВЕТИ

УГОДНИ УИЛОНИ

ЕВРОПЕ УБЕДИЛИМА ИДЕЈЕ

И Д Е Ј Е

ГОДИНЕ ДЕВЕТИНА

ЕДВЕД



# LECTORI.

**Q**UID mihi ego in hoc opere proposuerim, ipsius titulis satis explicatè præ se fert. Quid verò causæ à me impetraverit, ut cribri vice fungerer, & Verneianæ Logicæ furtures collegerim, id modo, Lector, à me disces. Verneii doctrinam excutiendam, & Verneium ipsum exagitandum suscepi, non animi malignitate, ac invidia; hominem enim mihi ignotum cur oderim, aut ignobili scriptori quid invidiam? Non maledicendi studio, quo sane vitio ita sum alienus, ut in neminem unquam stylum dirinxerim: non odio novitatis; in Philosophicis quippe nihil repudiandum, adoptandumve puto hoc tantum nomine, quod novum sit: non addictione ad unam aliquam Philosophorum Sectam; novi quippe veritatem nulla penitus comprehensam, per omnes sparsam esse, ac divisam: non demum jactatione doctrinæ, aut ingenii vendicatione; nam quæ utriusque ostentatio esse potest in manifestis erroribus adnotandis.

Aliæ me causæ, eæque honestissimæ, ac gravissimæ coegerunt, ut hoc mihi laboris injungerem. Primum quidem Lusitani nomi-

nis dignitas, quam Lusitanus scriptor barbaræ ruditatis notâ dehonestare non est veritus: ut mirum sit, in Lusitanis esse, qui obrectatori suo faveant; aut quibus ille unus sapiat, cui Lusitani omnes desipiunt. Deinde exterarum Nationum verecundia: quam enim de nobis exteri existimationem concipient, si scriptorem æque ineptum, ac contumeliosum, apud nos videant, tanquam communem Lusitaniæ magistrum impunè se gerere, nobis interim tacentibus, & tacitè nostram inscitiam profitentibus, tacitè Verneii Philosophiam approbantibus. Tertium nostratum Adolescentium institutio, quorum ex æquo interest veram Philosophiam colere, ac Verneianam contemnere.

Damus hoc etiam *Logicæ*, quam præclarus illius instaurator ita deformavit, ut, qui in Veterum, ac Neotericorum Logica non mediocriter sum veritatus, utramque apud illum non agnoscam. Damus *Verneio*, cui errorum suorum conspectu verecundari amarum quidem, sed saluberrimum est; ut deinceps aut modestius loquatur, aut taceat. Damus *Aristoteli*, cui ineptus ingeniorum æstimator Novatorum quemque in re Logica iniquissimo iudicio anteponit: nèque enim Neoterici ita

accu-



accuratè, ac feliciter rationalem Philosophiam, ac naturalem excoluerunt. Damus *Scholasticis*, quos Verneius ita ineptos pronuntiat, ut *nihil commodè explicent, nec intelligi possint* [a] adeoque legendi non sint, nisi *ut eorum errores notemus*. [b] Damus omnibus ferè sapientibus; vix enim ullus est, cui hujus locutiilei maledicentia pepercerit. Horum omnium existimationi unius famam litamus; ac cum illius, qui omnibus detrahit, inscitiam patefacimus, omnium sapientiam ab injuria vindicamus. *Fidei* postremò, ac *Religioni* damus, quam parum sanctè à Verneio coli, ut mitissimè dicam, magna omnino suspicio est; nimium enim quantum hæreticis studet, ac favet: illi Verneio sapiunt, Verneius eos olet; cum nullum ab ipso opus prodierit, quod propositionibus malè olentibus non scateat. [c]

Quare mirum non est, si Verneium modò contemptim, modò asperè habeam, uti indignitas operis, & causæ gravitas postulant. Non injuriâ eum contemno, quem probo, ineptum esse, & contemni oportere, ne sapientissimi viri, quos ipse contumeliosè habet,

---

(a) Ita Verneius lib. 2. pag. 132. [b] Lib. 5. pag. 361.

(c) Propositiones erroneas, aut parum curas, quibus Verneius Logicam suam resperit, habes 2. hujus operis parte; eas verò, quibus Methodum suam inquinavit, vide in Libellis Apologeticis, vulgò, *Reflexions Apologeticas; Conversaçõ Familiar; Retrato de Morte Câr; e Illuminuçã Apologetica.*

bet, contemnantur. Innoxie in eum invehor, cujus maledicentiam castigari ad Philosophiæ, ac Lusitaniæ dignitatem pertinet. Causæ, his leviores, honestandæ sufficerent graviori, quàm quâ utor, acerbitati; uti SS. Patrum auctoritate, exemploque edocemur. [d] Patrum autem? Immo verò Apostoli, qui vaniloquos, ac seductores docentes, quæ non oportet, ait, redargui oportere, seu; ut *S. Pacianus* legit; *indentari*, id est, fixo dente transfigi. [e] Quæ interpretatio nemini gratior, quàm Verneio esse debet, qui plerisque scriptoribus genuinum infigere consuevit. At non proinde Verneium imitabor, aut me ipsi iniquum præbebo; nihil enim à me audiet, quod verè, atque optimo jure dici non constet. Si eum Logicæ rudem, si parum sanum appellem, de se ipse conqueratur, qui absurdissimis erroribus suam demonstrat insipientiam, & incredibilem doctrinæ inconstantiam planè nos cogit, ut in eo constantiam mentis desideremus. Si illum in contemptæ Religionis suspicionem adducam, ipse in culpa est, qui periculosas Novatorum sententias adopravit. Verbo: si eum malè habeo, in causa est, quòd ipse *Logicam, Philosophiam, Lusita-*

---

[d]. Consulte *Theophilum Raynaud.* t. II. de Malis, ac bonis libris, parit. r. Erotem. 9. [e] *S. Pacianus* Epist. 2.



*Lusitaniam* pessimè habuit. Quod utinam ,  
Lector , animadvertas , nec acerbitatem cen-  
suræ scriptoris injuriam interpretéris ; neque  
enim quærendum , an illa acerba sit , sed an  
justa , & indignitate operis digna. Sed de me,  
ut voles ; modò justè de Verneio decérnas :  
non enim id ago , ut ipse tibi pláceam , sed  
ut Verneius displiceat.

PARS





I.  
P A R S I.

F U R F U R

DOCTRINÆ LOGICÆ:

I D E S T,

V E R N E I I

IN RE LOGICA ERRORES.

**L**OGICA, ea præsertim, quæ documentis practicis, ac regulis continetur, tam est certa, atque evidens, ut frustra in eâ errorem expectes, non dicam ab Authore meditatè scribente, sed nè quidem à tyronibus è vestigio respondentibus. Quæ in laude excelluisse fertur *Verneius* noster, cum sophistam, idest, Peripateticum ageret, quæ duo apud illum idem sunt: nam & *juveniliter garriebat, & conferebat cum adversariis manus, nè semel perstitit in acie sine levi vulnere*: (a) Condiscipulis interrim, atque auditoribus stupore defixis, ipsique gratulantibus, quod tale ingenium nactus esset, & *exquisitâ doctrinâ perpolvisset*. Tametsi ille, quâ tum erat modestiâ, *animum inducere non poterat, ut existimaret, se iusta de causa esse laudatum*. Súperis gratiæ, qui hoc ingenii miraculum nostro ævo, nostræque Lusitaniæ concesserunt. Quæris: unde hæc sciam? Ex Verneio ipso, qui ad modestiæ documentum hæc de se miro animi candore comémorat. Ex

A

Verneio

[a] Ita tere Verneius de Re Logica lib. 1. cap. 7. pag. 72.



Verneio, inquam; nam alia omnia ab iis audio, qui ipsum Eboræ audierunt. Plus tamen Verneio de se, quam aliis de ipso, credamus; eandem enim meretur fidem, cum se laudat, ac cum aliis detrahit. Sed ó fluxam hominum memoriam! Ex Logico criticus, & suamet eruditione jam obrutus, ignorat, cum docet, quod apprimè callebat, cum disceret. Admiratióni olim fuerit ejus juvenis sapientia: risui nunc erit hujus viri ignorantia. Fidem non faciam, nisi hominis in re Logicæ peregrinitatem, inscientiamque demonstrém, recensitis erroribus, qui ab ipso pro regulis statuuntur. Non omnes tamen numerabo; páuperis est numerare pecus; sed præcipuos, ac palmares. Sed neque in iis recensendis, ac demonstrandis eum ordinem sequar, quo apud Verneium leguntur; sed illum, quem videtur ipsa errorum conditio postulare.

## ERROR I.

*Nulla idéa habet objectum universale. (b)*

**U**NIVERSALE diu, multumque a Phylósophis vexatum, tandem aliquando á Verneio, Logicæ Carnífice, uno ictu jugulatum, & è medio sublatum est. Jure, an injuriá, dubitant aliqui: Universale enim magnorum ingeniorum Lucubrationibus nobile, multorum etiam erroribus infame, prolixitate invisum, difficultate odiosum, utrique parti argumenta suppeditat; nec minùs videtur è medio tolli, quàm in scholis servari debuisse. Meâ tamen sententiâ non illud à Verneio excindendum, sed à nobis amputandum fuit, & quædam illi quasi putamina superflue doctrinæ detrahenda. Sed de hoc fortasse alibi: interim videndum, quam ratione,

[b] Habetur apud Verneium lib. 2. cap. 12. pag. 90.

tionē, & quo sensu illi Vernelus ademerit existentiam.

Nobiscum ille constitúerat (c) esse idéas universales, quæ fiunt à mente nostrâ abstractione, & præcisione; ac de ills ita differúerat, quasi ipse essent universales in repræsentando: earum verò objectum per ipsas præcisum, atque abstractum, universale, ut Schola loquitur, in essendo. Cùm ecce eodem capite Coroll. 5. post statutam hanc propositionem: *Spécies affirmari potest de individuo, Genus etiam de spécie, non contrà; de qua postea; rem propositam deserit, & ad adolescentes nostros, qui scilicet in Lusitaniâ eum audiunt Romæ, convertus, ita eos alloquitur: Quod si à me quæritis, adolescentes, quare, etiam si nulla idéa habet objectum universale, tamen appelletur universalis, dicam, sic vocari, non quia reapse ita sit, sed quia ita esse videtur.*

Nostri adolescentes, Vernèi, id ex te non quærunt, nec Logicam tuam curant, quæ verbo ad usum, re ipsa non usui, sed risui est: hoc unum quærunt, quonam jure illorum institutorem agas, cùm nec privata illorum voluntas, nec pública Principis autoritas hanc tibi personam imposuerit? Huic quæsito, velim, satisfacias, non autem illi, quo nullus te interpellare eo loco poterat: tùm quia ad rem, de qua ibi agebatur, non erat: tùm quia nondum a te audierant, omnem idéam habere objectum singulare, prout opus erat, ut quærere ex te possent, quomodo idex universales sint, si illarum objectum universale non est. Sed nimirum tu, ut à proposito aliena deblateres, alios, quæ ad rem non sunt, interrogare fingis. Pergis, & doctrinam tuam ita illustras.

„ Cùm considero Petrum in hoc esse similem  
„ aliis hominibus, quòd sentiat, & ratiocinetur, &  
„ quin mëmorem alias proprietates, hæc duo voca-

A il

„ bulo

---

(c) Eodem cap. pag. 89.



„ bulo *homo* signífico; effingo idéam universalem ho-  
 „ minis. Hæc autem idéa habet objectum singulare.  
 „ Verúm quia ego cogitans Petrum, Paulum, Joan-  
 „ nem possum talem idéam elicere, tamque similem  
 „ priori illi idéæ hominis, ut videatur éadem idéa,  
 „ & inter disputandum, vel in Logica, vel Physica  
 „ de omnibus hominibus ita loquor, quasi esset unus  
 „ homo; eapropter per imprudentiam mihi per-  
 „ suádeo, esse unam rem, adeòque universalem.

„ Cúm in malo e. g. præsidio microscopii  
 „ explóro, quonam pacto succus è terra extractus  
 „ per canales quosdam ingrediatur, percolétur, do-  
 „ nec tandem in substantiam árboris, & fructus  
 „ cedat, fingo idéam talem, qualem effingere pos-  
 „ sum pruni, palmitis, cæterarum. Itaque quod ad  
 „ Physicam investigationem pertinet, perinde se ha-  
 „ bent omnes árbores, ac si esset malus tantum: &  
 „ de iis, propter similem fabricationem, éadem dis-  
 „ putámus. Quare unaquæque harum idéarum ha-  
 „ bet objectum reapse singulare: nobis tamèn impru-  
 „ dentibus videntur omnes idem objectum habere,  
 „ seu universale.

„ Jam si in Petro id tantum cognosco, in  
 „ quo est simile Leoni, bovi, pecudi; hoc est; si  
 „ percipio tantum eum & vivere, & sentire; ex-  
 „ primo idéam universalem animantis; hoc est;  
 „ idéam, quæ habet objectum singulare; sed tam si-  
 „ mile aliis, ut videatur idem objectum, & uni-  
 „ versale.

Hæc Verneius satis obscure: ego hoc ipsum  
 paulò explicatius. Cognitiones, (*idéa* dicere volui:  
 semper hic erro) idéæ, aut cognitiones hujus ten-  
 dentis *homo* repræsentant singulæ hominem singula-  
 rem, alia Petrum, alia Paulum, aliæ alios homines.  
 Quia tamèn illa Petri cognitio non illum repræsentat  
 ut Petrum, sed ut hominem; nec minus illa Pauli  
 non illum repræsentat ut Paulum, sed ut hominem;  
 idcir-

idcirco nec una cognitio discernitur ab alia, nec objectum unius ab objecto alterius. Quo fit, ut omnes illæ cognitiones videantur una cognitio; nec minus illarum objecta, quæ re ipsa sunt diversi homines singulares, singulatim affecti à diversis cognitionibus, videantur unum objectum universale, sive unus homo communis. En germanam Verneii mentem, quam ille explicare non potuit, quia adhuc in Logica infans est. Vide, quanti faciam hunc authorem, cujus Interpretem, ac Commentatorem agere non dedignor. Vereor tamèn, nè hac explicatione non gaudeat, quæ æquè ejus mentem, atque amentiam declarat.

Quid enim? Nonnè amens, atque excors est, qui non magis nobiscum pugnat, quàm secum? Qui citato capite 12. pag. 89. absolute asserit, esse idéas universales: pag. autem sequenti disertè docet, nullam idéam universalem esse, licet nobis imprudentibus universalis videatur. Qui coroll. 1. ait, idéam hominis exprimere plures res similes, utique plures homines: coroll. autem 5. statuit objectum illius idéæ esse unum hominem singularem? Qui hoc ipso coroll. 5, ubi negat universalia, éa planè supponit, nempe gênera, & species; cùm ait, spéciem non posse affirmari de gênerè, nec individuum de specie? Hunc ego hominem ità sui oblîtum, ità à se alienum, ità sibi repugnantem, philosophari putem, an potius delirare, aut somniare?

Quid; quòd Universalis existentiam apud ferè omnes omnis memoriæ Phylósofos certam negare audet, nè ullam rationem affert eam negandi? Quòd hæc vox *homo*, & idéa correspondens huic voci, sit verè terminus communis, atque univocus, eadem proprietate applicabilis singulis hominibus, ex ipsa termini notione manifestum, & apud Phylósofos indubitatum est, ne exceptis quidem antiquis Nominalibus, nè quidem excepto Verneio ipso, qui eodem  
Libro,



Libro, & capite toties citato coroll. 1. sic habet :  
 ☐ idææ gêneris, & speciei sunt universales. Nam  
 universale illud vocâmus, quod est commune cum  
 multis. Vocabulum *homo* potest aptari pluribus ho-  
 minibus : idæa etiam, quæ huic vocabulo respondet,  
 plures res similes exprimit. Id ipsum de animali af-  
 firmamus. ☐

Non minus certum est, significatum illius  
 vocis, aut objectum illius idææ, hominem scilicet,  
 præcisè, & ut sic non esse proprium hujus homi-  
 nis præ illo, sed commune omnibus : eâdem quip-  
 pe evidentiâ, qua constat, omnem hominem esse  
 hominem, constat etiam, quod esse hominem sit  
 commune omnibus hominibus. Negat hoc tamèn  
 Verneius, novus Ismael, cujus manus contrâ om-  
 nes, & contra quem omnium manus : hoc, inquam,  
 Verneius negat ; & contra notionem ipsam termi-  
 norum, contra communem hominum sensum, con-  
 tra certissimam Philosophorum sententiam, contra  
 se ipsum, pronuntiare non dubitat, idæam hominis,  
 præcisè ut hominis, esse idæam determinati hominis ;  
 ejusque objectum non esse omnibus hominibus com-  
 mune ; idest ; non esse commune omnibus homini-  
 bus esse hominem.

Ain tu verò ? Et quam ratione id pro-  
 bat ? Quàm sanè gravissimam esse oportet, ut con-  
 tra receptissimam sententiam quidquam momenti  
 habeat. Quam ratione ? Nullâ : iterum dico,  
 nullâ, nèc verâ, nèc sophisticâ ; nèc magni pon-  
 deris, nèc levi ; ut observare licet in ejus doctrinâ,  
 quam suprà ex fide retulimus. Liberè id, temerè-  
 que effundit, nullâ adhibitâ probatione ; & dictum  
 apud nos suum plus fidei habiturum putat, quàm  
 rationis evidentiâ, & Philosophorum authorita-  
 tem. Affert quidè duplex exemplum : alterum Pe-  
 tri considerati, ut hominis : alterum mali considerati,  
 ut arboris ; sed quod idæa Petri considerati, ut homi-  
 nis,



nis, sit idéa folius Petri: quòd idéa mali confiderati, ut arboris, sit idéa folius mali: hoc enim verò, quod erat probandum, ab ipso non probatur, sed assùmitur. Tanta in homine audacia, tanta temeritas est, ut contrà rationem sine autoritate, contra autoritatem sine ratione confidentissimè obloquatur.

Quando igitur Verneius assertionem suam non probat, illam ego paucis improbabo. Et I. quidè m autoritate Mag. August. Categ. c. 1. ubi sic ait: *Uno vocabulo, cum hominem dixeris, noscis omnes... equum etiam, cum quis dixerit, monstrabit omnes... cum leonem, vel taurum dixeris, omnes, qui ubique sunt, sub uno nomine nature succedunt.* Viden, idéas respondentes his vocibus *homo, equus, leo*, ad omnes, qui ubique sunt, homines, ad omnes equos, ac leones pertinere; adeòque universales re ipsa esse, non quidem in essendo, sed in repræsentando?

II. Ratione: Cognitio Petri necessariò est cognitio Pauli, si repræsentet Petrum in eà ratione, in qua ipse a Paulo non differt: sed Petrus non differt à Paulo in ratione hominis: ergò cognitio Petri necessariò est cognitio Pauli, si repræsentet Petrum in ratione hominis. Sic imago, ac pictúra unius ovis nequit non esse imago, ac pictura alterius omninò similis; quia nihil repræsentat, per quod unum ab alio discriminètur.

Corónidem hucusquè dictis imponat huiusmodi demonstratio. Terminus, qui potest distributivè accipi pro omnibus hominibus, non significat unum hominem tantum, sed omnes: sed terminus *homo*, tum mentalis, tum vocalis, potest distributivè accipi pro omnibus: ergò terminus *homo*, tum mentalis, tum vocalis non significat unum hominem tantum, sed omnes. Consequentia est evidenter bona: maior, & minor evidenter veræ. Maior quidem: quia

quia terminus, qui significat unum tantum hominem, accipi nequit pro omnibus hominibus; v. g. terminus *Petrus* accipi nequit pro Paulo, pro Francisco, pro aliis: ergo terminus, qui accipi potest pro omnibus hominibus, non significat unum tantum, sed omnes. Minor: quia terminus *homo* accipitur distributive pro omnibus hominibus in his propositionibus  $\equiv$  *Omnis homo est animal*  $\equiv$  *Equus non est homo*  $\equiv$  sive illæ mentales sint, sive vocales: in I. ex parte subjecti: in II. ex parte prædicati. Constat igitur, esse terminos verè communes, atque adeo idéas, & voces re ipsa universales in significando: quod erat demonstrandum.

## ERROR II.

*Ex quinque vulgatis prædicabilibus quatuor priora non extant. (d)*

**A**NTÆO nostro ipsimet lapsus videntur animos addere, ac vires; quò enim labitur absurdus, eò audacius in alios invehitur: quò ejus sententia minus est ferenda, eò intolerabilior est verborum insolentia, qua illam proponit. Quàm absurda sit ea, quam retuli, propositio, infra constabit: quanto aliorum contemptu eam proponat Verneius, jam vide: *Scholastici*, inquit lib. 2. c. 12. pag. 93: *quasi naturas rerum liquidò cognitatas haberent, multa, & intoleranda dixere, que vel tyro quisque oculatus futilia esse animadvertet*: (tyro scilicet oculatus, (e) & Verneius lusciosus animadvertent, esse futilia, quæ sapientissimi homines solida esse judicârunt.) *Exemplum sit divisio rei universalis in 5. prædicabilia: de qua sine ullo sine in*  
*Scholis*

---

(d) Fruitur manifestè ex iis, quæ docet lib. 2. pag. 94. (e) Iu ciosus Verneius, ut ipse ait lib. 2. pag. 117.



Scholis disputatur, quasi re vera essent 5. res, quibus talia nomina possent appingi. Quae enim dicunt de IV. primis prædicabilibus, huic basi inædificantur: intelligere se, qualis sit natura hominis, bellæ, cætera. Quod sine ullâ dubitatione est falsum. Nam Phylosophi, quantumvis oculati, proprietates quasdam rerum tantum cognoscunt, essentiam non item: nec nisi temerè dicent, esse hoc potius, quàm illud: (temerè ergò dicet Verneius, se potius esse hominem, quàm asinum, animal, quàm stîpitem) quod ei, qui celebres perscrutatores naturæ hujus, & superioris sæculi pervolverit, manifestum erit. Cavete igitur, adolescentes &c.

Si hæc omnia vera omninò, ac certa essent, reprehendus tamen esset Verneius, quòd scholasticos, idest, Phylosophos, idest, D. Thom, Scot. Suar, aliosque sapientiæ Próceres, indecorè, insolenterque tractaverit. Quid, si certa non sunt? Quid, si nec probabilia? Quid si repugnantia, absurditatisque plenissima? Atqui hujusmodi esse, ex nudâ hujus doctrinæ explicatione innotescit. Ex 5. vulgaris prædicabilibus priora quatuor nobis adimit Verneius, quintum relinquit, non jam quintum aut postremum, sed primum, immò unicum. Communi prædicabilium stragi superstes solùm Accidens extat; Genus, Species, Differentia, Proprium, perierunt, utpote inædificata ruinosæ huic basi, quòd scilicet rerum naturas intelligamus. Aut muti simus, aut de contingentibus loquamur necesse est. Dicere possumus = Petrus est albus = sed = Petrus est homo, animal, rationalis, risibilis, = quæ ad prima quatuor prædicabilia spectarent, non possumus. Actum proindè de prædicationibus essentialibus, ac necessariis; siquidem tria prædicabilia essentialia, & IV. prædicabile necessarium, desiderantur. Cùm autem propositiones scientificæ necessariæ esse debeant, actum etiam de propositionibus scientificis, adeoque de scientiis.

B

Nequè

Nequè dici potest, non negasse Verneium omnia prædicata essentialia, ac necessaria, sed illa tantùm, quæ scholastici adstruunt in divisione Universalis, nempè prædicata essentialia, ac necessaria, quæ sint multis communia. Nam, ut alia omittam, ideò universalia essentialia, ac necessaria à Verneio negantur, quia à nobis non cognoscuntur rerum essentialiæ; hæc autem ratio, siquam vim habet, eam æquè habet contra omnia prædicata essentialia, ac necessaria, sive illa communia sint, sive singularia; non enim minus ignoramus essentias singulares individuorum, quàm essentias communes generum, ac specierum.

Hæc ipsa ratio quàm est absurda, & quàm latè patet ejus absurditas! Genus, Species, Differentia, sunt nomina sine re, quia ignoramus essentialia rerum prædicata, quibus ea nomina convenire possint. Ignoramus, inquis? De te uno loquere, de te uno id profiteri; qui enim nihil Universale esse vis, cur ignorantiam tuam singularem nobis communem esse velis? Nimis liberalis es laudum tuarum, si inscitiam tuam nobiscum communicas. Tuas tibi res habe; neque enim tuam aut scientiam volumus, aut inscitiam. Nulla tibi prædicata nota sunt, quibus conveniat ratio Generis, Differentiæ, Speciei? Sit ita sanè, quando ipse ita vis. Quid deinde? Ergò nos ignari, quia tu id ignoras; ipse verò sapientissimus, qui eam ignorantiam præ te fers, in qua rerum omnium ignoratio continetur? Sic enim est, qui nullius rei essentiam novit, nihil novit; quia nihil est, quod essentiâ suâ non gaudeat.

Philosophi, inquis, quantumvis oculati, proprietates quasdam rerum tantùm cognoscunt, essentiam non item. Arripio, quod concedis: cognoscunt Philosophi proprietates rerum, quin illarum essentiam cognoscant? Ergò quantum prædicabile, idest, *Proprium*, non præsupponit cognitionem essentiæ: proinde



proinde universalia , quæ supponunt cognitionem essentia, non sunt prima quatuor, sed tria priora. Sed, hoc omisso , quæro ex te , an cognoscas essentiam earum proprietatum , quas nosti , an non ? Si 1 , aliquam profectò essentiam nosti : Si 2. nihil omninò nosti , nisi ad summum quoad an est ; quia non cognoscis , in quo consistant eæ proprietates , quas noscis.

Sed nondum sentit Vernéius , quàm arctè teneatur ; elabi enim putat , si dicat , à Philosophis oculatis , atque adeò a se , qui , quanvis *lusciosus* sit , oculatissimus est , cognosci quidem essentiam proprietatum , essentiam accidentium , non tamen essentiam rerum , idest , substantiarum , quæ solæ sunt propriè res. Sua tamen eum spes fallit : ut enim apud nos extent prædicabilia essentialia , perinde est à nobis cognosci essentiam accidentis , ac essentiam substantia : cum eodem modo prædicentur de accidentibus prædicata essentialia accidentium , ac de substantiis prædicata essentialia substantiarum. Quamvis ergò sola nobis accidentia nota essent , adhuc prædicabilia essentialia haberemus. Quid , si substantiam abundè noscimus , ut ejus essentiam de ipsa prædicemus ?

Scimus profectò, essentiam specificam hominis in eo sitam esse , quòd sit homo : in eo genericam , quòd sit animal : in eo differentialem , quòd sit rationalis. Cæterorum animalium novimus species innumeras , genera omnia , omnesque differentias genericas superiores ; differentiam specificam , uti in se est , vix ullam. Quòd igitur substantiarum essentiam ignoremus , falsum in homine , cujus essentiam definitam , perspectamque habemus. Falsum etiam , si de superioribus substantiarum generibus , genericisque differentiis sermo sit ; novimus quippe , quid sit animal , vivens , corpus , substantia.

At esto : ignorent æquè Philosophi , quid sit homo , ac quid sit equus : ignorent , quid sit animal ,



mal, & rationale : quid vivens, & sensitivum, &c ; adhuc illi efformare poterunt prædicationes genericas, specificas, differentiales : nam licet ignorem, quid sit homo, quid equus ; scio tamen, Petrum esse hominem, Bucephalum esse equum : quod satis est, ut prædicare possim de Petro speciem humanam, de Bucephalo equinam.

Similiter licet ignorem, quid sit animal, quid rationale, aut irrationale ; scio tamen hominem, & equum esse animal ; hominem, & non equum esse rationalem : quod satis est, ut de utroque prædicem rationem genericam animalis, de altero tantum differentiam specificam rationalis. Constat itaque, substantias non esse ita nobis ignotas, ut illarum genera, species, differentias enunciare non possimus.

Tu ipse, Vernèi, qui essentialia hujusmodi prædicata cognosci negas, ea cognoscis ; non ita quidem, ut Philosophum decet, sed ut Logico Sufficit. Vide quàm amicè tecum agam, qui te minus ignarum esse probo, quàm tu de te profiteris. Non tu omninò nescis, quod nescire te dicis ; sed id nescire te dicis, quia nescis, quid dicas. Nosti equidem, te esse hominem, animal, rationalem : nosti etiam animal esse genus, rationale differentiam, hominem speciem ; siquidem hoc ipso capite pag. 89, & 90. agnoscis Genus, Speciem, Differentiam ; adhibesque in exemplum animal, hominem, rationale. Sed ita à te ipso es alienus, ut nescias, quæ scis. Memineris tamen aliam scientiæ, atque opum rationem esse ; qui enim ignorant, quæ habent, ópibus abundant ; qui nesciunt, quæ sciunt, mentis inopes sunt.

# EXCURSIO IN LAUDES VERNEII

*Ob præclaram de universalibus doctrinam.*

**D**E Universalibus nemo parcius, nemo etiam uberius Vernéio nostro differuit. Pauca admodum de Universalis existentia, ac notione attingit, sed in his paucis quidquid de illo dici potest, quidquid etiam non potest, complexus est. Nequit in eum regeri, quod ipse scholasticis non immeritò objectat, eos scilicet de Universalibus ad fastidium disputare: Vernéius quippè legentium, satietati plus nimio occurrit, & jejunitate doctrinæ, & opinionum varietate. Ita jejunus, ut nullam; ita varius, ut omnes apud illum opiniones reperias. Omnium palato sapit; quam enim de Universalibus sententiam velis, eam apud ipsum habes.

Vis, ut Universale in similitudine individuorum consistat? Consistit sane, uti habet pag. 88. his verbis:  $\equiv$  *Species nihil aliud est, quam similitudo individuorum ... Similitudo specierum dicitur genus:*  $\equiv$  nec minus pag. 91, ubi ostendens ad idéam universalem necessariò requiri cognitionem plurimum singularium, sic ait:  $\equiv$  *Secus (mens) non advertet prædicatum esse universale, idest, simile aliis.*  $\equiv$  Hoc ipsum nonvis? Non consistit; similitudo quippè apud Vernéium non constituit, nec facit Universale, sed in causa est, cur mens illud efficiat:  $\equiv$  *Similitudo individuorum, inquit: pag. 89. Coroll. 3; in causa est, cur ideas universales eliciamus:*  $\equiv$  & coroll. 2.  $\equiv$  *ideæ universales fiunt à mente nostrâ abstractione, & præcisione. Nam species tunc fit, cum omissis, & veluti mente præcisus singularibus uniuscujusque individui modis, ea tantum considero, in quibus sunt similia. Quæ*  
cogni-



*cognitio hac de causâ vocatur à Logicis præcisio, seu idea abstracta. ☐*

Placet tibi Universale à parte rei? Illud adstruit Vernéius, cùm pro eodem accipit esse Universale, ac esse simile aliis; nam unum aliis simile habetur utique ante opus rationis. Non placet? Illud negatum habes eodem coroll. 3. his verbis: ☐ *nullum extat Universale re ipsâ. ☐*

Vera tibi est veterum Nominalium sententia? In ea est Vernéius, juxta quam universalitas non convenit rebus, ac naturis, sed idéis, ac vocibus: ita enim habet pag. 93: ☐ *Rejiciuntur Scholastici, qui existimant, esse aliquam naturam universalem* ☐ Pag. autem 89: ☐ *idéæ Generis, & Speciei sunt universales: nam Universale illud vocamus, quod est commune cum pluribus. Vocabulum homo potest aptari plurimis hominibus, &c.* Rursus hanc ipsam sententiam falsam putas? Verneium pro te habes iis in locis, ubi collocat Universale in similitudine individuorum; neque enim hæc similitudo, in qua Universale ab ipso collocatur, in idéis, aut vocibus sita est.

Placet tibi objectiva præcisio? Eam Verneius supponit, pag. 91, cum ita ait: ☐ *Si in Petro id tantum cognosco, in quo est simile leoni, bovi, pecudi; hoc est; si percipio tantum eum, & vivere, & sentire, exprimo idéam universalem animantis.* ☐ En præcisionem objectivam animalis à rationali; siquidem cognoscitur tantum animal. Hæc tibi præcisio non placet? Verneio etiam non placet, qui pag. 107. recenset has voces *præcisio objectiva inter cas, que nihil significent.*

Communis illa Universalis divisio in 5. species tibi probatur? Alicubi eam probat. Non probatur? Alicubi eam non probat. 1. Constat, quia pag. 89. admittit genus, & speciem; pag. sequenti differentiam; proprium, & accidens passim alibi. 2. Constat expressè ex ejus verbis supra relatis.

Quod.



Quodnam esse vis objectum hujus cognitionis præcisiuæ *homo*? Plures homines? Id ipse docet pag. 89. his verbis:  $\equiv$  *idea, quæ huic vocabulo homo respondet, plures res similes exprimit:  $\equiv$  opinor plures homines. Unum tantum? Hæc est germana illius sententia malè ab ipso proposita pag. 90, & 91; & superius a nobis explicata. Perpende lector, quantum Verneius aliis Logicis præstet; alii integro tractatu unam tantum proponunt Universalium doctrinam; hic quatuor corollariis omnes de Universali opiniones comprehendit.*

## ERROR III.

*Species de individuo affirmari potest, Genus etiam de Specie; non contrà. (f)*

**V**ERNEIUM in Logica regnare ut scias, novas in eâ leges arbitrato suo statuit: sed ita absurdas, rationique oppositas, ut iis Logici stare non debeant. Hujusmodi est, quam improbandam suscipio, indigna Logico, digna Verneio; tollit quippe è medio conversionem propositionum ab ipso alibi admissam: (g) cum ex hac conversa  $\equiv$  *homo est animal  $\equiv$  inferre non liceat ejus convertentem  $\equiv$  animal est homo.  $\equiv$  Eâdem autem operâ, qua tollit conversionem propositionum, tollit etiam syllogismos indirectos, quos in omnibus figuris Verneius agnoscit: cum enim syllogismi indirecti colligant convertentem conclusionis directæ, non datâ conversione, modi ipsi non dantur. Adstruit deinde identitatem realem non mutuam: si enim Petrus est homo, quin homo sit Petrus; Petrus est idem cum homine, quin homo sit idem cum Petro: quod evidenter repugnat. Quorsum tamèn hæc? Verneianæ regulæ falsitas ex simplici*

---

(f) Ita syllabarum Verneius pag. 90. coroll. 5. [g] Pag. 148.

simplici propositionum explicatione constat. Petrus non est omnis homo, sed est aliquis homo, vel hic homo: aliquis autem homo, vel hic homo est Petrus. Homo igitur est Petrus eodem sensu, quo Petrus est homo; & consequenter individuum affirmatur de specie eodem sensu, quo species de individuo.

Aburdæ regulæ absurda probatio est. „ Cùm, inquit, *Petrus* exprimat plura, quàm homo, verè dico  $\equiv$  *Petrus est homo*,  $\equiv$  quod valet; „ in Petro dantur prædicata similia aliis hominibus. „ Malè tamen dicam  $\equiv$  *homo est Petrus*,  $\equiv$  quod „ hoc valet, prædicata, quæ Petrus habet similia „ aliis hominibus, constituunt integrum individuum, „ quem vocamus Petrum: quod est falsum. Eodem „ nomine benè affirmo,  $\equiv$  *homo est animans*  $\equiv$  malè verò,  $\equiv$  *animans est homo*  $\equiv$

Mira enim verò argumentatio:  $\equiv$  *Petrus plus exprimit, quàm homo*; ergò *homo non est Petrus*.  $\equiv$  Eandem illa vim habet, atque hæc:  $\equiv$  *Pater in Divinis plus exprimit, quàm Deus*; ergò *Deus non est Pater*.  $\equiv$  Mira etiam æquivalentia illius propositionis:  $\equiv$  *Petrus est homo*  $\equiv$  ad hanc  $\equiv$  *in Petro dantur prædicata similia aliis hominibus*. Prima habet pro subiecto *Petrum*, pro prædicato *hominem*: secundum verò habet pro subiecto *prædicata similia aliis hominibus*; pro prædicato autem *dari in Petro*: & tamen primum idem valet, ac secundum.

Quanta hîc Verneii inscitia se prodit! Noncùm ille novit, quid in propositionibus subiectum, quid prædicatum sit: quod primum in propositione locum habet, subiectum: quod secundum prædicatum esse putat. Quid certius non solùm apud Logicos, sed & apud Grammaticos, quàm quòd hæc proposito  $\equiv$  *in Petro dantur prædicata similia*  $\equiv$  sit localiter inversa, habeatque pro subiecto *prædicata similia*, pro prædicato *dari in Petro*! Quia tamen *Petrus* primum in  
illa



illa locum habet , *prædicata autem similia* postremum , ille Verneio subjectum , hæc prædicatum videntur. Idcirco apud illum enuntiatio hæc  $\equiv$  *Petrus est homo*  $\equiv$  idem valet atque ista  $\equiv$  *in Petro dantur* , &c.

Nondum etiam novit , quantum intersit inter hos terminos  $\equiv$  *Petrus* , *dantur in Petro* ; *homo* , *prædicata similia aliis hominibus* ;  $\equiv$  putat enim hanc propositionem  $\equiv$  *Petrus est homo*  $\equiv$  constare iisdem terminis , atque istam  $\equiv$  *prædicata similia aliis hominibus dantur in Petro* .  $\equiv$  In quo , uti in aliis , elementorum Logicæ se ignarum ostendit , ac linguæ philosophicæ rudem. Si nescis , Vernei , terminus *homo* significat ea prædicata , *animal* scilicet , & *rationale* , in quibus omnia naturæ humanæ individua sunt similia ; sed non significat ea prædicata esse similia : neque enim *homo* est prædicatum simile hominibus ; sed est prædicatum , in quo homines sunt similes. Hoc tu si nosles , non acciperes pro eodem esse Universale , ac esse simile aliis , uti accipis pag. 91 ; intelligeresque prædicatum universale , ac commune non esse simile pluribus singularibus , sed plura singularia esse inter se similia in prædicato communi.

Sed , ut tecum agam indulgentius , ultro tibi permitto , ut *Petrus* , & *dari in Petro* ; *homo* , & *prædicata similia aliis hominibus in idem recidant*. Quid tum ? Non potest , inquis , converti illa propositio  $\equiv$  *Petrus est homo* .  $\equiv$  Converti non potest ? Immo verò à te ipso conversa jam est ; data enim eâ , quam vis , terminorum æquivalentiâ , hæc propositio  $\equiv$  *prædicata similia aliis hominibus dantur in Petro*  $\equiv$  idem valet , atque hæc alia  $\equiv$  *homo est Petrus* ,  $\equiv$  quæ est convertens illius  $\equiv$  *Petrus est homo* :  $\equiv$  nam si idem sit *prædicata similia aliis hominibus* , atque *homo* , idem etiam *dari in Petro* , ac *Petrus* ; idem erit dicere  $\equiv$  *prædicata similia aliis hominibus dantur in Petro*  $\equiv$  ac  $\equiv$  *homo est Petrus* .  $\equiv$  Quis non mirètur

huius Logici dexteritatem , qui imprudens , atque aliud agens , vel tum propositiones convertit , cum eas negat converti posse.

## ERROR IV.

*Proprium affirmationis est conjungere extrema secundum amplissimam significationem , quam subjectum habet. Id Logici explicant hoc modo :  $\sqsupset$  Affirmatio distribuit subjectum . . . Negatio divellit omne prædicatum ab omni subjecto.  $\sqsupset$  (h)*

**E**RRORES duos in unum cogimus, tum quia affines sunt, tum quia tam multi huiusmodi furfures apud Verneium reperiuntur, ut non singillatim recenseri, sed accumulatè glomerari debeant. Errores dixi duos? Tres dicere debui; primus est, quòd affirmatio ex genere suo distribuat subjectum; alter, quòd eam vim ex se habeat negatio. Tertius, quòd id Logici doceant. Nimis oculus est Verneius, qui in Logicis videt, quòd apud illos non extat: nimis cæcus, qui, quòd ipsi demonstrant, non videt. Aliud est, Vernei, quòd negatio distribuat prædicatum, aliud verò, quòd & ipsa, & affirmatio distribuunt subjectum. Primum Logici docent, tu secundum; qui nihil minus, quàm Logicus es: ut ipse palam ostendis, cum Logicis eam affingis regulam, quæ ab ipsis non tráditur.

Porrò hanc legem non esse legitimam duo mihi efficaciter persuadent. Primum est, quòd ex omnibus, quos legerim, non, nisi à Verneio, statuatur; magnum quippe falsitatis argumentum est, quòd eam alii non probaverint; maius, quòd eam probet

Ver-

(h) Habetur lib. 3. cap. 4. pag. 142.



Verneius. Alterum, & quidem evidens, est; quia affirmatio ex genere suo non magis est distributiva subjecti, quàm illius disjunctiva; ut enim distribuit subjectum, si est universalis, ita illud disjungit, si est particularis. Sicut autem affirmatio particularis non ideò disjungit subjectum, quia est affirmatio, sed quia est particularis; ita affirmatio universalis, non ideò illud distribuit, quia affirmatio, sed quia universalis est. Adde, quòd distribúere subjectum, nec omni, nec soli affirmationi còvenit: ergò non est illius proprium. Non còvenit omni, quia aliqua affirmatio subjectum disjungit, nempè affirmatio particularis: non còvenit soli, quia aliqua negatio subjectum distribuit, nempè negatio, seu propositio negativa universalis. Quid est, Vernei? Hæret tibi aqua? Ne te afflictes: dic me *Sophistam, ac pedantam*, dic *criticæ artis ignarum esse*: & fecisti argumento *satis*.

## ERROR V.

*Judicium est perceptio relationis, quæ reperitur inter duas idéas. (i)*

**P**ROFITETUR Verneius, cùm judicium definit, nescire se, quid sit judicium: quam inscitiam de more omnibus Philosophis allinit; quia putat neminem scire, quod ipse ignorat. Hanc tamen judicii ignorationem non tam declarat, cùm eam fatetur, quàm cùm illud definit. Judicium, inquit, est perceptio relationis inter duas idéas. Ineptè; quia non omnis perceptio relationis inter duas idéas est judicium; nec omne judicium est perceptio relationis inter duas idéas. Proinde illa judicii definitio, neque soli judicio còvenit, neque omni.

C ii

Non

---

(i) Ita Verneius lib. 3. cap. 1. pag. 133.

Non convenit soli iudicio, quia convenit etiam apprehensioni, illi videlicet, quæ stupidè representat huiusmodi relationem, quin de illa quidquam stâtuat. Nullum est objectum, quod à nobis iudicari possit, apprehendi non possit: ergo illa ipsa relatio inter duas idéas objectum esse potest perceptionis apprehensivæ. En igitur perceptionem, quæ verificat Verneianam iudicii definitionem, nec tamen est iudicium.

Non convenit omni; quia non convenit iudiciis directis, sed solùm reflexis; hæc enim sunt perceptiones idearum, illa objectorum. Nimirum intellectus humanus primùm apprehendit, deinde iudicat, saltem ut plurimum: nec aliud objectum iudicat, quàm quod apprehendit; iudicium quippe est quædam intellectus sententia de illo objecto, quod ad rationis tribunal per apprehensionem defertur. Cùm ergo illud ipsum iudicetur, quod prius apprehenditur, necesse est, ut per iudicium (si quidem sit perceptio, ut Vernei sententia est) illud ipsum objectum percipiatur, quod per prævias apprehensiones percipitur: subsumo: atqui per apprehensiones, aut idéas directas, non percipiuntur idéæ, sed objecta idearum: ergo etiã per iudicia directa. Iudicium ergo, si sit directum, non est perceptio relationis inter duas idéas, sed identitatis inter duo objecta; neque enim idéas ipsas, sed earum objecta representat. Habes, Vernei, tuam iudicii definitionem iudicio non congruere. Tu, si sapias, de illo ne loquere, cuius juxta te ipsum idéam ciaram non habes; juxta alios, neque umbram.

ERROR



## ERROR VI. :

*Unum est veri judicium rei evidentia. (1)*

**I**DEM est , ac dicere , evidentiam esse unicum veritatis criterium , unicam notam , ac caractérem , quo verum à falso discernitur. Quam ego propositionem in Philosophia falsam , in Theologia erróneam , & fidei Divinæ injuriosam non , ut alias hujus Logodædali , ridendam , sed graviter castigandam puto. Nam si sola evidentia est veri nota , necesse est , ut veritates fidei careant notâ veritatis , quia carent evidentiâ. Huc , huc , Vernei , ubi non rationis , sed fidei , non humanæ sapientiæ , sed divinæ veritatis injuria te vocat. Solam rei evidentiam veritatis notam esse vis? Per solam evidentiam verum à falso discernis? Ergò veritates fidei , sicut non habent evidentiam , ita non habent , per quid à falso discernantur.

Quanam consequentia melior , quodnam consequens peius esse potest? Miserum te , cui nec consequens concédere , nec consequentiam negare licet. In arcto deprehensus nullam habes evadendi viam. Nam si effugias ad evidentiam moralem , quæ cum fidei obscuritate non pugnat , nihil dices ; etenim impropria hæc evidentia non necéssitat intellectum ad assensum ; illa autem , quam unam veri regulam esse vis , plane nos cogit , ut vero assentiamur , uti ipse doces cit. c pag. 187.

Quantquam hinc tu diu tibi non constas ; nam primùm exigis strictam illam evidentiam , quæ intellectum necéssitat , nec illum hærére , aut dubitare sinit : statim verò ab hoc rigore descendis , & regulam tuam , sane Lesbiam , flectis , non tam exigens evidentiam , quam fidem. Sic enim intérpretor ,  
quod

[1] Traditur à Vernicio lib. 4. cap. 3. pag. 29.

quod statim subdis : ¶ Sin autem vereamur , nè per  
 ,, tarditatem humanæ mentis decipiamur adhuc ;  
 ,, investigemus , quid cæteri homines , ii præsertim ,  
 ,, qui ingenio , ac doctrinâ præter cæteros pollent ,  
 ,, existiment : qui si dixerint , rem ita se habere ,  
 ,, sine ulla dubitatione judicabimus , rem esse certam ,  
 ,, & perspicuam. ¶

Ubinam hic evidentia intellectum necessi-  
 tans ? Qui veritatem evidenter cernit , non veretur ,  
 nè per tarditatem humanæ mentis decipiatur ; nec  
 opus habet investigare , quid existiment homines  
 ingenio , doctrinâque præstantes , qui ab objecti evi-  
 dentia rapitur ad assensum. Si illi , inquit , dixerint ,  
 rem ita se habere , sine ulla dubitatione judicabimus  
 rem esse certam , ac perspicuam. Miram sanè doctri-  
 nam ! Dictum hominum , qui falli possunt , rem  
 facit certam , ac infallibilem. Autoritas extrinseca  
 eam reddit perspicuam , ac evidentem. (m) Hujus-  
 modi , opinor , est Verneii evidentia , hujusmodi  
 illius certitudo.

Omitto tamen hæc persequi : omitto etiam ,  
 quòd nullum critérium tradidit veritatum probabi-  
 lium , cùm in hujusce capituli annotationibus vitio de-  
 derit Aristoteli quòd illud non tradiderit. Unum est ,  
 Vernei , quod præterire non possum ; te hoc ipso in  
 loco , ubi veritatis critérium fidei injuriosum , & Theo-  
 logiæ contrarium statuisti , & Theologiæ , & fidei , &  
 Divinæ authoritatis meminisse : ibidem enim doces ,  
 mathematicam evidentiam non adversari authoritati  
 Divinæ , nec fieri posse , ut vera sint in Philosophia ,  
 quæ in Theologia falsa sunt. Quod sanè omnem tibi  
 excusationem adimit ; neque enim causari potes , te  
 non egisse de veritatibus fidei , cùm universale illud  
 critérium statuisti , quod in eas non quadrat. Stú-  
 pidum

(m) Oppositum docet Verneius lib. 4. cap. 8 pag. 239. his verbis  
 ¶ Si fidem adjungo ei , qui fallere potest , aut saltem fallit , meus  
 assensus est infirmus , & ad probabilitatem reducitur. ¶



pidum ergò , aut ìmpium esse te constat ; stùpidum quidem , si dè fide edisserens , quantam illi injuriam irrogares , non vidisti ; ìmpium , si videns , ac sciens , irrogasti.

## ERROR VII.

*Si momenta rationum pendentibus nulla omnino ratio occurrit , cur dubitemus , an res ità se babeat , vocatur certitudo. (n)*

**J**AM minime miror , si tam multa Verneio certa sunt , quæ nec infimum probabilitatis gradum obtinent. Nam quid certi ab illo sperandum , qui nondum novit , quid sit certitudo , nec unde ipsa habeatur ? Duplex illius fons est , divina autoritas , & rei evidentia. Primo ex fonte derivatur certitudo fidei divinæ : ex altero habetur certitudo aliarum veritatum , quæ proinde talis est , qualis evidentia , aut metaphysica , aut physica , aut moralis.

Cum hi duo certitudinis fontes certissimi ipsi , ac manifesti sint , non inde tamen Verneius certitudinem repetit. Unde repetit ? Nempè ex eo , quòd momenta rationum pendentibus nulla omnino ratio occurrat , cur dubitemus. Certitudinem , atque adeo infallibilitatem sumendam putat ex argumento negativo , ac fallibili , quale Verneianum illud esse constat ; cum possit dubitandi ratio subesse , quin nobis occurrat , licèt rem , quantà possumus , accusatione expendamus. Quod cum sapientes viri probè sciant , quamvis nulla iis appareat dubitandi ratio , non proinde certificantur , eam objecto non subesse , cum nòrint posse eam subesse , quin illis appareat.

Hoc causæ est , cur certi non simus de earum rerum

---

[n] Verba Verneii sunt lib. 4. cap. 2. pag. 182.

rerum possibilitate, in quibus ipsi post accuratam disquisitionem, nullam repugnantiam rationem deprehendimus. Quod viri oculati repugnantiam non videant, possibilitatis argumentum est, juxta aliquos debile, juxta plures probabile, juxta omnes fallibile. Eadem ratione, quod nec falsitas, nec ratio falsitatis appareat, non est argumentum infallibile veritatis. Universim nihil satis efficaciter probatur, ex eo tantum, quod oppositum non probetur. Nondum ergo Verneius veræ certitudinis fontem attingit, nec dum novit, quid certum, dubiumvè sit.

Dubium illi est, cui aliqua argumenta adversantur; certum, cui nulla.  $\equiv$  *Si in alterutram partem, inquit loco cit. vi rationum trahimur, ita tamen, ut quedam etiam argumenta ex adversa parte occurrant ... dubitanter judicamus*  $\equiv$  Si nulla occurrant, certi sumus. Sed in utroque vehementer errat: veritas enim quæ nec divinam auctoritatem, nec terminorum evidentiam, aut evidentem rationem stabilitur, quamvis nullo argumento debilitetur, debilis per se ipsa, ac fallibilis est, quia nititur fundamento infirmo, ac fallibili. Contrà verò, quæ divinam auctoritatem, aut evidentem rationem pro se habet, licet ex adverso innumera sint argumenta, eaque difficillima, omnino firma, ac certa est, nec rationes oppositæ eam labefactant. Quid certius, quàm Deum esse Unum, & Trinum, immutabilem, & liberum? Quorum primum fide certum, alterum etiam ratione evidens est. Contra utramque veritatem argumenta ex se gravissima objiciuntur. Quid magis incertum, quàm, quod stellæ sint pares? Nullum occurrit argumentum pro earum imparitate. Tam verum est, certum esse posse, cui aliqua argumenta adversantur, incertum, cui nulla.

ERROR



# ERROR VIII.

*Omne probabile est possibile. (o)*

**P**ROPOSITIONEM hanc nemo sanus proferre potest, si illam intelligat: sensus quippè illius est, quòd omne objectum opinionis probabilis possit re ipsa esse, sicut probabiliter esse existimatur: idest, quòd continuum Aristotelis sit possibile, nec non continuum Zenónis, cum utrumque sit probabile: quòd sit possibile physicam præmotionem cum libertate pugnare, & cum illa non pugnare; quia utrumque fert probabilis sententia: quòd sit possibile, infinitum in actu esse possibile, nec non ipsum esse impossibile; quia tam unum, quam alterum probabile est: quòd demùm, aut sit, aut esse possit, quidquid de supernaturalibus Theologi, Philosophi de naturalibus, in tanta rerum, atque opinionum varietate probabiliter opinantur.

Hoc tu pronuntiare auderes, si infinitam illius pronuntiati amplitudinem intelligeres? Si animadverteres, multa probabilia esse probabiliter impossibilia, v. g. physicam prædeterminationem ad actus liberos, infinitum in actu, continuum Aristotelis, aut Zenónis, &c. Si perspectum haberes opiniones probabiles circa naturas, ac proprietates rerum, aut esse de objecto necessario, & necessario veras; aut de objecto impossibili, & necessario falsas? Fatere igitur propositionem illam universaliorrem, absurdiorremque, quam tu putabas, tibi excidisse imprudenti, & ignorantì, quid proferres.

D

ERROR

---

[o] Hanc propositionem statuit Vernacius tanquam corollarium lib. 4 pag. 243.

# ERROR IX.

*Nullus excogitari potest discursus mentis , in quo non tria judicia reperiamus. (p)*

**N**ULLUS, inquis, excogitari potest. Immo permulti statim occurrunt, videlicet, conversio, inductio, consequutio affirmativa infinita ad negativam finitam, ab universali ad particularem, ab una ad, aliam æquipollentem, &c. Omnes hujusmodi consequutiones duobus tantum judiciis, aut propositionibus constant, quia illarum antecedens uno tantum judicio, aut propositione continetur. Et tamen, cum in iis habeatur antecedens, & consequens, habetur discursus, idest, progressio ab uno ad aliud, in qua cursus mentis consistit, juxta omnes, & juxta Verneium ipsum (q) qui instar omnium est.

Adhuc tamen verba illi non desunt; respondebit quippe ex iis, quæ de inductione edisserit, (r) in propositionum conversione subaudiri aliam affirmationem, quæ cum conversa, & convertente constituit syllogismum, impletque ternarium illum judiciorum numerum, qui in omni mentis discursu reperitur. Exempli gratia in hac conversione  $\equiv$  *Omnis homo est animal*  $\equiv$  *ergo aliquod animal est homo*;  $\equiv$  licet propositiones vocales sint duæ, judicia sunt tria; quia, præter duo vocibus expressa, est aliud in mente latens, nempe hoc  $\equiv$  *si omnis homo est animal, aliquod animal est homo*;  $\equiv$  quod aliis duobus superadditum, cum iis constituit hujusmodi syllogismum  $\equiv$  *Si omnis homo est animal, aliquod animal est homo; sed omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo.*  $\equiv$

Hæc

---

(p) Ita extat lib. 3, cap. 1. coroll. 2. pag. 161. (q) Lib. 3. pag. 159. (r) Pag. 169.



Hæc tamèn responsio tollit re ipsa conversionem propositionum ; jam enim non deducitur una propositio ex una , convertens ex conversa ; sed una ex duabus , conclusio ex præmissis , quæ deductio argumentatio est , non conversio. Sanè juxtà hanc doctrinam ex illa propositione  $\sqsupset$  *Omnis homo est animal*  $\sqsupset$  non magis sequitur vi formæ hæc  $\sqsupset$  *aliquod animal est homo* ;  $\sqsupset$  quam v. g. ista : *aliquod vivens est substantia* ;  $\sqsupset$  nám sicùt tenet prima illatio , si illa universalis  $\sqsupset$  *omnis homo est animal*  $\sqsupset$  sumatur simul cum hac conditionali  $\sqsupset$  *Si omnis homo est animal , aliquod animal est homo* ;  $\sqsupset$  ita valet secunda , si eadem universalis sumatur simul cum hac hypothetica  $\sqsupset$  *Si omnis homo est animal , aliquod vivens est substantia.*  $\sqsupset$

Convincitur deindè falsitatis primò ; quia hæc veritas  $\sqsupset$  *omnis homo est animal*  $\sqsupset$  per se , & independenter ab alia conectitur cum ista  $\sqsupset$  *aliquod animal est homo* ;  $\sqsupset$  ergò per se , & independenter ab alia eam arguit. Secundò ; quia ut ex identitate duorum cum tertio inferam identitatem eorum inter se , necessum non est subaudire in antecedente hujusmodi principium , per quod regulantur syllogismi ,  $\sqsupset$  *quæ sunt idem cum tertio , sunt idem inter se* :  $\sqsupset$  ergò etiam , ut ex identitate unius cum alio inferam recíprocam identitatem hujus cum illo , opus non est subintelligere in antecedente hoc principium , per quod regulantur conversiones  $\sqsupset$  *Si unum est idem cum alio , hoc secundum est idem cum primo.*  $\sqsupset$  Satis est , quòd aliundè notum habeat ea , quæ sunt idem cum tertio , esse idem inter se ; ut , cum postea recognosco *A* , & *B* esse idem cum *C* , inferam eà inter se identificari : satis etiam est , quòd in antecessum sciam identitatem esse mutuatam , ut : cum postea animadverto *A* esse idem cum *B* , colligam *B* esse idem cum *A*. Sicut enim principium , quod regulat argumentationem , non ingreditur antecedens.

D ii

argu)

argumentationis, ita, quod regulat conversionem, non ingreditur antecedens conversionis. Tergiverfare, Vernei, ut voles; numquàm his argumentis satisfacies.

## ERROR X.

*Omnes syllogismorum regulæ ad hanc unam revocantur:  $\equiv$  syllogismus tribus tantum terminis consistere debet.  $\equiv$  (s)*

**V**OLUISSE videtur Verneius noster, ut, quemadmodum Logica inest intellectui, ita intellectus Logicæ inest; & cogitandi, sciendique ars cogitet ipsa, ac sciat: ut enim loquitur pag. 70:  $\equiv$  *habet Logica pro scopo, ut res, prout sunt, intelligat, certoque sibi persuadeat, se non errare judicando.*  $\equiv$  Si hoc verum habeat, & rationis facultas intelligentiâ, ac ratione prædita sit, non dubito, quin ipsa intelligat, plurimum se Verneio debere. Nam, ut alia omittam hujus viri in Logicam merita, quantum illud est, quod regulas omnes syllogisticæ artis multitudine innumeras, varietate complexas, difficultate operosas, onerandæ memoriæ, torquendisque ingeniis inventas, ad unam simplicissimam juxta, ac certissimam revocaverit. Et etiamnum dubitabimus Aristoteli nuncium remittere, & Logicæ principatum Verneio deferre, qui totam Aristotelis artem unâ regulâ comprehendit, ac quatuor verbis absolvit?

Sic enim est; mira illa lex, quæ una est integra ars; & syllogisticæ totius summa, ac compendium, quatuor omnino vocibus continetur, nempe his:  $\equiv$  *syllogismus tribus terminis consistet.*  $\equiv$  Totam ratiocinandi artem tenet, qui hanc propositionem

nem



nem intelligit; intelligit autem, quisquis eam audit. Hanc si legem mulierculæ, si rustici discant (cur autem non discant?) superabunt in argumentandi arte Aristotelem, &, quod longè plus est, in ea Verneium ipsum æquabunt. Gratulor tibi, Vernei, cui *rem accuratius meditati*, (t) id demum se obtulit *sylogismum tribus tantum terminis constare*. Gratulor Logicæ, cui tantum difficultatis, prolixitatisque detractum. Rusticis ipsis, ac mulierculis gratulor, qui eâdem facilitate, qua sciunt, numerum ternarium tribus unitatibus constare, scire possunt totius syllogisticæ summam, ac substantiam. Sed heus tu, Vernei; vide quæso diligenter, an una hæc regula omnes comprehendat? Sin minus, ludibrium nobis pro laude, pro admiratione risum debes.

Quod conditionatè dixi, absolutè jam statuo, aioque non omnes syllogismorum regulas ad illam revocari, nec syllogismo, ut sit rectus, satis esse, quod tribus omnino terminis constet. Demonstratur. Hic syllogismus:  $\equiv$  *Nullus homo est equus; aliquod animal est homo: ergò nullum animal est equus:  $\equiv$  tribus tantum terminis constat; & tamen est manifestè vitiosus: ergò ut syllogismus sit rectus, non sufficit, quòd tribus tantum terminis constet. Sola maior falsa est Verneio, apud quem *aliquod animal, & nullum animal* sunt duo termini; (u) ex quo sequitur, illum syllogismum constare quatuor terminis, nempe *homo, equus, aliquod animal, & nullum animal*. Si igitur demonstrarem *aliquod animal, & nullum animal* non esse duos terminos; sed unum, demonstravi utiquè vitiosum illum syllogismum non constare quatuor terminis, sed tribus; adeoque rem confeci. Hoc autem demonstratur facillè in hoc syllogismo:  $\equiv$  *nullum animal est Lapis; aliquod animal est homo: ergò aliquis homo non est Lapis;  $\equiv$  qui**

[t] Verba illius sunt loço cit. [u] Aliquis homo, & nullus homo sunt apud illum duo termini pag. 170.

qui non habet quatuor terminos, sed tres, cùm sit recte constructus in *Ferison*, quemmodum admittit Verneius. (x) Haberet autem quatuor terminos, *Si nullam animal, & aliquod animal* essent duo termini. Si hic sciulus non ignoraret, quod Dialecticæ tyrones sciunt, nosset profectò ly *nullus, & aliquis* non esse terminos, sed signa, & consequenter *nullum animal, & aliquod animal* non esse diversos terminos, sed eundem terminum affectum diversis signis.

Sed nimis operose demonstravi, quod uno hoc argumento conficitur. Syllogismus, constans utràque præmissa negativa, est vitiosus, ut docent non solum Logici, sed etiam Verneius; (z) sed potest syllogismus habere tantum tres terminos, & constare utràque præmissa negativa: ergò potest syllogismus habere tantum tres terminos, & tamen esse vitiosus. Minor constat in hoc syllogismo:  $\equiv$  *nullus homo est Lapis; nullus adamas est homo: ergò nullus adamas est Lapis: \equiv in quo manifestum est, utramque præmissam esse negativam, & terminos non esse, nisi tres. Hoc argumentum ita evidens est, ut Verneius illud viderit; sed Verneius ita cæcus est, ut ejus evidentiam non videat. Ideo inquit lib. 5. pag. 375,  $\equiv$  vitiosè colligitur ex duabus negativis; quia non conferuntur duo extrema cum uno, medio; quinimò planè negatur, posse ea cum medio conferri.  $\equiv$*

Hoc tamen nec verum est, nec ad rem. Non est ad rem, quia sex illa, qua unâ omnes contineri dicuntur, ut à Verneio statuitur, non præscribit, ut duo extrema conferantur cum uno medio; sed, ut syllogismus habeat tantum tres terminos: cui regulæ evidenter conformatur ille, quem attuli, syllogismus constans ex præmissis negativis; esto eam non servet, qua præcipitur, ut extrema conferantur cum medio. Hoc enim est, quod contendo,

posse

[x] Lib 5. p. 381. [z] Eod lib. p. 374.



posse syllogismum constare tribus terminis, atque adeò servare eam Legem, quæ hunc numerum terminorum præscribit; & tamen contra alias peccare: Unde habeo, non omnes syllogismorum regulas ad illam reduci; siquidem non omnia syllogismorum vitia ad id reducuntur, quòd eam non servant.

Non est verum; quia si ambo extrema non conferuntur cum medio, quando ambæ præmissæ sunt negativæ; quando altera est affirmativa, altera negativa, alterum extremum confertur cum medio, alterum non confertur; quod continetur in affirmativa, confertur; quod in negativa non confertur. Proinde cum in omnibus syllogismis debeat utrumque extremum cum medio conferri, in omnibus syllogismis utraque præmissa debet esse affirmativa: quo nihil absurdius dici potest. En miram illam totius syllogisticæ summam, quæ Verneio *rem accuratius meditantì se obtulit*. Hujusmodi est illius accuratio: præclara illius inventa hæc sunt: errorem pro regula, pro admirabili documento incredibilem absurditatem nobis obtrudit: Author tibi sum, Vernei, ne accuratè quidquam meditèris: quandoquidem, ut vides, ea ingenii tui infelicitas est, ut quò accuratius meditaris, eò absurdius hallucinèris.

ERROR.

# ERROR XI.

*Si conclusio est particularis, etiam altera ex præmissis ita se habebit. (a)*

**V**ERNEIUS domi suæ hospes, & in ea, quam profitetur, arte, peregrinus, absurdissimo hoc documento luculenter declarat se non Logicæ tantùm inscium esse, sed sui; nisi enim à re Logica, nisi à se ipso alienus esset, tam crassè errare, ac tam apertè sibi contradicere non posset.

Alienum se à re Logica ostendit, cùm statuit, conclusionem particularem deduci non posse ex præmissis universalibus: quod nemo Logicâ imbutus falsum esse ignorat. Ac nequis existimaret, hunc illi errorem non per ignorantiam, sed per imprudentiam excidisse, cùm aliis, atque aliis terminis proponit loco citato Lege 4. & 5. nec proponit modò, sed probare, ac demonstrare nititur. Et probat sanè, non tamèn quod intendit, sed quod minimè probatum vellet, suam nempe in re Logica inscitiam; demonstratque non id, in quo errat, sed errare. Quem errorem aliis erroribus cùmulat, cùm eum probat hujusmodi argumento. (b) In conclusione nec plus, nec minus esse debet, quàm in præmissis; nec terminus in consequente accipiendi sunt ampliori, aut restrictiori significatione, quàm in antecedente: acciperentur autem in consequente restrictius, si præmissæ essent universales, conclusio verò particularis.

Quos propositiones, tot errores. Primum est, quòd in conclusione debeat tantundem reperiri, quantum in præmissis, si de terminorum quantitate sermo sit, ut in præsentis est: nam cùm conclusio continetur

---

[a] In Appendice de arte syllogistica pag. 374. (b) Ibidem de legibus syllogismi generatim lege 4. pag. 373.



tineatur in præmissis, non item præmissæ in conclusione; necesse est, ut non sit plus in conclusione, quam in præmissis: sed non est necesse, ut non sit plus in præmissis, quam in conclusione. Sic in conversâ plus esse potest, quam in conclusione, non contra. Neque idcirco variantur termini, ut imperitè putat Verneius, sed variatur descensus terminorum: aliter hæ propositiones contradictoriæ  $\equiv$  *omnis homo est albus*  $\equiv$  *aliquis homo non est albus*  $\equiv$  non constarent iisdem terminis, nec proinde essent contradictoriæ; quia *homo* accipitur in primâ universaliter, in secundâ particulariter.

Secundus est: quod terminus accipiat in restrictiori significatione, cum particulariter, ac cum universaliter accipitur: nam universalitas, & particularitas variant quidem acceptionem, ac suppositionem terminorum, sed illorum significationem non variant, ut eodem contradictoriarum exemplo constat; neque enim terminus *homo* in contradictoriis supra adductis significationem mutat. Tertius: quod termini accipiantur restrictius in conclusione, quam in præmissis, quando hæ universales, illa particularis est: oppositum enim contingit in *Darapti*, & *Felapton*. Nam in hoc syllogismo  $\equiv$  *omnis homo est animal*; *omnis homo est vivens*: ergo *aliquod vivens est animal*  $\equiv$  *vivens*, & *animal* sicut accipiuntur particulariter in conclusione, ita etiam in præmissis. Sunt illæ quidem universales, sed sunt affirmativæ: idcirco distribuunt medium, nempe *homo*, quod est earum subjectum; sed non distribuunt extrema, *animal* scilicet, & *vivens*, quæ sunt illarum prædicata. Hæc qui ignorat, nonne penitus à re Logica alienus est?

Non minus à se ipso alienum se probat, cum hoc ipsum; quod edisserens de generalibus syllogismorum regulis constituerat, expenderat, confirmaverat; subindè evertit agens de legibus figura

E

rum -

rum singillatim. Capite 1. negat etiam, atque etiam posse aliquam conclusionem esse particularem, quin altera ex præmissis particularis sit. Capite tertio recenset quinque ipsos modos colligentes conclusionem particularem ex præmissis universalibus. In tertiâ figurâ duos, videlicet, *Darapti*, & *Fesapton*: (c) in quarta, quam admittit, etiam duos, nempe *Bamalipon*, & *Fesapno*. Quænam cæcitas huic par inveniri potest! Miseret me tui, Vernei; nec quod Logici doceant, nec quid ipse dicas, intelligis. Non Logicâ tantum artificiali cæres, sed naturali etiam destitueris.

## ERROR XII.

*Leges ratiocinandi potius necessarie sunt, ut de aliorum ratiocinationibus judicemus, quàm ut ratiocinando aliquid conficiamus. Omnino unum est necessarium, perspicuas, & veras cognitiones acquirere: quod qui faciunt, ii quidem nullo negotio legitime concludunt: qui verò id non curant, licet argumentationum regulas in promptu habeant, perpetuò ratiocinantur. (d)*

**A**PPARET, absurdam hanc propositionem non tam in Vernei cerebro conceptam, quantum ex ipsius in Aristotelem, & Aristotelicos odio natam esse. Non ignorabat homo, alioquin rei Logicæ ignarus, ratiocinandi arte totam ferè Aristótelis Logicam contineri: hujusce verò artis regulas, & ab Aristótele ingeniosissimè excogitatas, & à Peripateticis accuratissimè traditas esse, quamvis immodicè

[c] Pag. 385, & 381. (d) Libro 3. cap. 3. pag. 174. Scho-



dicè audax , negare non est ausus. (e) Quid igitur ? Ubi ingenium, veritatem, evidentiam desiderare non poterat , utilitatem desiderat. Ut autem mitius loqueretur , rem ita temperandam putavit ; ut ratiocinandi leges necessarias esse diceret ad dijudicandas aliorum ratiocinationes ; non verò ad nostras rectè construendas. Cur ita , inquires ? Nescio ; neque enim Verneius rationem attulit hujusce pronuntiati : hoc unum scio , eum loqui pugnancia ; nam artem non esse utilem ad illud opus , respectu cujus est ars , est artem non esse artem ; cum de ratione artis sit dirigere , ac juvare ad effectiorem operis artificiosi. Si qua ars inutilis habeatur , non idè erit , quia nihil conferat ad constructionem artefacti ; sed quia artefactum , ad quod ipsa est utilis , inutile est.

Demus tamèn homini Philosopho , nec loqui ut Philosophum , nec ut hominem : ad rem veniamus. Regulæ ratiocinandi , atque adè ipsa ratiocinandi ars necessaria non est , ut ipsi rectè ratiocinemur ; sed ut de aliorum ratiocinationibus iudicium feramus ? Absurda vox , & ita absurda , ac si diceret : Rhetorica necessaria non est , ut ipsi ornatè loquamur ; sed ut iudicemus , an alii ornatè loquantur : Architectonica non est necessaria , ut domus affabrè construatur , sed ut jam constructa æstimetur : ars demùm necessaria non est artifici , sed inspectori ; non est usui ad præxim , sed ad speculationem ; non infervit , ut artefactum construatur , sed ut constructum eruditis oculis videatur.

Ecquis non dico Philosophus , sed artifex hanc propositionem non rideat ? Quis non videt , artem , si necessaria non sit , ut artefactum rectè fiat , necessariam non fore , ut recognoscas ipsam esse rectè factum ? Difficilius est ratiocinari rectè ,

E ii

quàm

---

(e) Argumentationis leges ab Aristotele inventas Verneius ipse cõmendat. lib. 3 pag 168 his verbis □ Hæc autem leges , & veras esse , & summo ingenii acuminè excogitatas , negare non possumus □

quàm dijudicare, an alii rectè ratiocinentur : tum quia plus nostra, quàm aliena nos fallunt; tum quia universim in quavis arte non ita facile est contra illam non peccare, quàm, quid alii peccent, animadvertere, ut scitè docet D. Hieronymus. (f) Quanam igitur veri apparentiâ ratiocinandi ars necessaria esse dicitur, non ut ipsi ratiocinemur rectè, sed ut aliorum ratiocinationes dijudicemus? Intellectus suo marte id potest, quod est difficilius; quod facilius est, non potest? Arte indiget, ne vitiosæ aliorum ratiocinationes ipsi imponant; non verò ut suæ ipsum non fallant? Necessariæ ipsi sunt regulæ ad repudiandam argumentationem sophisticam, ejusque fallaciam detegendam, si hæc ab alio proponatur, (g) non autem si ipsa menti occurrat? Hoc tu cum ais, aut id tibi persuades, aut aliis persuadere posse confidis?

Velim etiam, ut statuas, an homines, (de ingeniosis, & disciplinarum capacibus loquor) satis à natura instructi simus, ut rectè ratiocinemur? Si negas, ergò ut ratiocinemur rectè, indigemus arte, ac regulis rectè ratiocinandi; quod ipse non vis? Si ais, ergò omnes ratiocinantur rectè, quod per se absurdum apparet, & in te falsum esse constat. Neque opus erit alienas argumentationes ad regulas artis exigere; cum enim omnes à natura habeamus, quod rectè argumentemur, certi esse possumus, quod, & alienæ argumentationes, & nostræ rectæ sint. Vide utrum malis? Si humana mens regularum notitia non indiget, ut eas in ratiocinando servet; si suoapte ingenio id præstat, quod ipsæ præscribunt, vix ullus contra illas peccabit: Quare supervacaneum erit aliorum ratiocinationes ad regulas Logicæ  
 expen-

[f] Sanctus Hieronymus Epistolâ inter Augustinianas 75, aliâs 11. [g] Respondens inquit Verneius lib. 5. pag. 199. perpendat diligenter syllogismi partes, & consideret, an in forma, an in materia sit vitium. Si in forma, vitium ostendat, &c.



expendere. Si verò passim contra illas peccamus, adhibendæ illæ necessariò erunt, non solùm ut aliorum errores animadvertamus, sed ut nostros vitemus: nisi absurdè velis, ut plus nobis, quàm aliis tribuamus; ut de aliis solliciti, de nobis securi simus; ut demùm in aliena potiùs vitia inquirere, quàm nostra cavere studeamus.

Onuino, inquit, *imùm est necessarium, perspicuas, & veras cognitiones acquirere: quod qui faciunt, ii quidem nullo negotio legitime concludunt.* Nihil ineptiùs dici potest. Acquirendæ sunt cognitiones veræ, ut rectè ratiocinemur? Immo verò ratiocinandum rectè, ut cognitiones veras acquiramus: veritas quippè est finis, ratiocinatio autèm medium, & quidem potissimum *ad veritatem, ut Verneius ipse docet his verbis.* (h) *Demonstratio est præstantior via inquirendi veritatem: demonstratio, inquam, quæ juxta ipsum, & juxta omnes nobilissima est ratiocinationis species.*

Jam illæ cognitiones veræ, quibus instructi nullo negotio legitime concludimus, quibus destituti perpetuò malè ratiocinamur, quænam sunt? Illænè, quæ sunt per se notæ? An potiùs, quæ sunt notæ ex alio, & ex propositionibus per se notis deductæ? Si primum, ineptè jubes id scire, quod nullus ignorat, prima scilicet principia, quorum cognitio vocatur à Philosopho *intellectus*, quia tantum eâ carent, qui carent intellectu. Si secundum, adhuc ineptior es; quia jubes, ut ante argumentationem habeantur eæ cognitiones veræ, quæ tuâ ipsius sententiâ non nisi per argumentationem acquiruntur. Lege, Vernei, temetipsum lib. 4. de re Logicâ, parte 1. cap. 8, & ex te ipso discce, quod scienter ignoras, & ignoranter scis, nempe propositiones veras ex principiis deductas, ex iis deduci per argumentationem. Jam tibi assentior, Vernei, necessa-

---

[h] Pag. 238.

necessariam non esse argumentandi artem ; Quidem rectè argumentari tuâ sententiâ impossibile est : nam neque possumus argumentari rectè , quin prius cognitiones veras acquiramus ; nec possumus cognitiones veras acquirere , quin prius rectè argumentemur. Oh præclarum Lusitanæ juventutis institutorem , & certissimum ducem ad veritatem ! Qui nobis author est , ut verum inveniamus , antequàm illud vestigemus ; qui ante ad metam perducit , quàm viam doceat ; prius veritatem acquiri jubet , quàm instrumento uti acquirendæ veritatis.

*Qui cognitiones veras acquirunt , nullo negotio legitime concludunt : qui vero id non curant , &c.* Si hoc ita habet , id unicè curandum , quòd præmissæ argumentationis sint veræ ; quòd autem conclusio rectè ex iis deducatur , negligendum : neque enim conclusio bona erit , si præmissæ sint falsæ ; nec mala , si veræ. Proinde cùm aliorum argumentis respondemus , rarò , aut nunquàm licebit negare consequentiam , concessio antecedente ; sed aut antecedens negandum , aut totum erit concedendum ; neque enim argumentationes in eo peccant , quòd deducant ex vero falsum , sed quòd assumant falsum pro vero. Hoc illud est , Vernei , si te ipsum intelligis , quod nos docere voluisti : hoc ipsum est , in quo te falsitatis , ineptiæ , ignorantiaque convinco. Ex cognitionibus perspicuis , ac veris alias itidem veras , ac perspicuas argumentando deducere , hoc tu nullius negotii rem appellas ? In quo totum humani ingenii , totum humanarum scientiarum negotium esse constat. Hoc opus , hic labor est , quem nec tu , nec tui similes superastis , nec superare unquam poteritis. Ex una veritate perspicua aliam etiam perspicuam ratiocinando colligere , hoc demum est demonstrare , hoc demum est scire , hoc demum est , quod tu nullo negotio fieri doces , cum alibi  
docu-



docueris , hanc rationem cognoscendi laboriosam esse. (i)

Si paulò sapientius , quàm soles , primam errorum causam inquiras , reperiēs , eam non esse falsitatem antecedentium , sed malam deductionem consequentium : nam ipsum antecedens falsum , quod assumitur ut verum , idcirco verum existimatur , quia male deducitur ex aliquo antecedente vero. Nullus fere in primis principiis fallitur ; nemo sanus sine probatione falsum assumit , quasi per se notum , sed illud ex alio deducit. Si autem omne falsum ex alio deducitur , necesse est , ut per argumentationis regressum deveniatur ad aliquod antecedens verum , ex quo ipsum male deducatur. Verùm hæc Verneius non capit , qui artem analyticam ignorat , ac contemnit , & ideò contemnit , quia ignorat.

Sed quorsum cum Verneio certamus , quasi ipse nobis adversetur , non sibi ? Non est diù cum amicissimo adversario pugnandum , qui nobis militat , secum pugnat , ac præcipuam doctrinæ nostræ commendationem suppeditat. Ut enim cum D. Eucherio loquar : (1) *validis absque dubio nititur privilegiis , qui causam de adversarii asserit instrumentis : speciosa victoria est , contrariam partem cartulis suis , velut propriis laqueis irretire ; & testimoniorum suorum vocibus confutare , & æmulum telis suis evincere ; ut pugnotoris tui argumenta tuis probentur utilitatibus militare.* Una hæc probationi nostræ confirmatio deerat , suffragatio scilicet adversarii ; quam ipse abundè perfecit , nè in illo desideraremus. Negaverat quidem Verneius ratiocinandi regulas , non eas tantum , quas vulgares Logici tradunt , sed quas ipse tradi-

---

[i] Utraque cognoscendi ratio , inquit Verneius pag 238 , æque certa est : secunda tamen [ per argumentationem ] magis est laboriosa , & minus clara , quàm prima ( per simplicem considerationem idearum. )

(1) Homili 2. de Pasch.

tradiderat, necessarias esse, ut rectè ratiocinemur : sed ad se, veritatemque jam redux imprudenter concedit, quod ignoranter negaverat. (m) *Ufu; inquit; & experienciâ edocemur, homines sibi relictos, & sine regulis ratiocinantes, in infinitos errores incidere. Idcirco oportet quasdam regulas babeamus, ad quas ratiocinationes nostras dirigamus, ne imprudenter decipiamur. Quid clarius?*

Docuerat ex cognitionibus perspicuis, ac veris nullo negotio deduci conclusiones itidem veras, ac perspicuas : sed in re nullius apud illum negotii tantùm operæ, ac difficultatis jam sentit, ut pro illa superanda mentem intendere, & meditationem adhibere jubeat : nam meditatio apud illum est applicatio cognitionum nostrarum ad explorandam veritatem, secundum leges sapientissimè constitutas : ita ut semper notiones veras ex aliis notionibus perspicuis derivemus. (n) Solicitos deinde nos cupit de nexu propositionum; & curiose perscrutari; an alia ex aliis perspicue fluant, an non. Sic facile percipimus, gravissimos homines aliquando pueriliter lapsos esse, &c. Quid ego amplius à Verneio extorquere poteram, quàm quod ipse ultro concedit?

Plus ille arti syllogisticæ tribuit, quàm ipse ab eo exigissem. Non ego huic arti tantum tribuo, ut putem totam in ea Logicam sitam esse. Novi artem ratiocinandi non esse integram Logicam, sed præcipuam ejus partem; Logica enim latius patet, & plura complectitur, quàm ars ratiocinandi : hæc solum discursum dirigit, illa etiam judicium : hæc solas argumentandi regulas tradit; illa etiam definiendi, ac dividendi. Verneio tamen ars ratiocinandi, & Logica artificialis idem sunt : (o) ars, inquam

---

(m) Lib. 5. cap. 5. pag. 359. (n) Lib. 5. cap. 1. pag. 280, & 281. [o] Verba Verneii hæc sunt pag. 359. homines longo rerum usu edocti ... norant errores, & regulas quasdam formarunt, ex quibus hæc ars ratiocinandi, seu artificialis Logica existit.



quam, ratiocinandi, quæ alia non est, quam ars syllogistica, præsertim apud Verneium, juxta quem omnis ratiocinatio tribus omninò terminis constat, estque syllogismus, si vocibus exprimatur. (p) Sed vide, quam in hoc ipso sibi non cohæreat. Logicam artificialem reponit in arte ratiocinandi, atque adeò in arte syllogistica; hanc tamèn artem ad calcem operis tradit, logicæque attextit tanquam accessoriam ipsius appendicem. O' Protheu, Protheu, quandiu tibi non constabis!

## ALII EJUSDEM FURFURIS Errores.

TANTA errorum ubertas in Verneiana Logica est, ut si omnes eâ, qua hæctenus, accurate persequar, nullum scribendi finem inveniam. Quare errorum pertæsus, iisque contentus, quos attuli, supersedere reliquis constitueram. Sed ne cribri vitio tribuatur, quòd crassiores tantùm furfures colligat, aliosque elabi sinat, minutiores etiam nonnullos confertim accumulabo, quibus plenius demonstrarem hujus scioli inscitiam in re logica.

Propositiones contrarias posse esse simul falsas, tum in materia contingenti, ut has  $\equiv$  *Omnis homo est justus*  $\equiv$  *nullus homo est justus* :  $\equiv$  tum in materia impossibili, ut istas  $\equiv$  *Omne animal est homo*  $\equiv$  *nullum animal est homo*,  $\equiv$  *nemo* Logicus ignorat. Ignorat tamen Verneius, qui planè supponit, contrarias non posse esse simul falsas, nisi sint contingentes; cum ait: (q) *contrariæ possunt esse simul falsæ, si sint contingentes*; neque enim conditionem, ac limitationem illam addidisset, *si sunt contingentes*, nisi existimaret, solas contrarias contingentes posse esse simul falsas.

F

Conver-

---

[p] Lib. 3 pag. 1613, & 16. [q] Lib. 3. pag. 147.

Conversionem propositionum, id est, deductionem convertentis ex conversa, esse confectionem legitimam, ac formalem, Logici omnes agnoscunt: neque id diffiteri potest Verneius, qui conversionis regulas utcumque tradit, admittitque syllogismos indirectos, qui ex sola conclusionis directæ conversione generantur. Quid tamen? Ubi conversionem probat, ibidem eam improbat, atque infamat, illam appellans perturbationem propositionum, aut ex nostra imprudentia, aut ex loquentis cavillatione ortam. En illius verba. (r) *Evenit aliquando, cum disputamus, ut propositiones perturbate afferamus, id est, quod erat primum, secundo loco ponatur, idque vel per imprudentiam nostram, vel cavillationem colloquutoris. Vocatur hæc conversio. Quò verò id ita fiat, ut semper eundem sensum proferant, hæc servanda sunt.* Descendit deindè ad tradendas regulas, quibus hæc imprudentia sapienter, hæc cavillatio infallibiliter, hæc perturbatio ordinatè fiat. Quonam ego nomine hanc absurditatem appellem? Ineptiam dicam? Parùm hoc. Errorem? Nè hoc quidem satis. Afinitatem? Insolens quidem hæc vox, sed rei indignitate dignissima.

Elementariis Logicæ tyronibus notum est, terminum primæ intentionis, v. g. *homo, aut animal*, accipi simpliciter, quando illi adjungitur terminus intentionis secundæ v. g. *species, aut genus* in hujusmodi propositionibus  $\equiv$  *homo est species, animal est genus.*  $\equiv$  Notum etiã, terminum communem, dum stat simpliciter, stare immobiliter, nec ad inferiora distributivè, aut disjunctivè descendere; terminus quippè in suppositione simplici non accipitur pro significato, ut est re ipsâ in singularibus, sed ut est in mente sub eo conceptu, à quo accipit denominationem secundæ intentionis. Hæc, inquam, elementariis Logicæ tyronibus nota sunt, Verneio non

---

(r) Eodem lib. pag. 148.



non sunt; nam apud illum (s) hæc propositio  $\equiv$  *virtus est genus respectu justitiæ, & fortitudinis*  $\equiv$  particularis est, adeoque ejus subjectum non accipitur simpliciter, & immobiliter, sed personaliter, distinctivè, & particulariter. Quare hunc syllogismum  $\equiv$  *virtus est genus respectu justitiæ, & fortitudinis; justitia est virtus: ergo justitia est genus respectu justitiæ, & fortitudinis*  $\equiv$  in eo peccare putat, quod ejus maior sit particularis: cum tamen ejus vitium sit, quod in maiori *virtus* accipitur simpliciter, in minori personaliter. Mirari igitur parco, quod terminorum suppositionem, ac descensum, quæ philosophicæ linguæ rudimenta sunt, Verneius non doceat, siquidem ea non didicit.

Petitio principii, notum Logicis vitium, tum committitur, cum id, quod probandum erat, assumitur ad sui probationem. Verneius tamen terminorum ignarus putat hanc fallaciam committi, cum in argumento *propositio altera vel planè est dubia, vel planè falsa.* (r)  $\equiv$  *id in quo est certitudo*

Judicium certum, & judicium certò verum synonyma apud nos erant; sed si Verneium audimus, *non omne judicium certum est verum.* (u) id est, non omne judicium certò verum est verum. Possum, inquit, *esse certus de re aliqua; id est, affirmare aliquid sine ulla dubitatione, & tamen falsum affirmare: plene exemplorum sunt historie.* Potès sanè affirmare, & sæpe illud affirmas. Plena exemplorum est tua methodus, tua Logica, tuus ad Philosophiam, ac Theologiam apparatus: sed tua ad falsum adhesio error est, non certitudo; nam neque error, neque objectum erroris certa dici possunt; nisi absurdè velis, ut certum sit, quod hæretici affirmatè, & pertinaciter asserunt contra fidei doctrinam.

Putabam hæctenus hanc vocem *natura humana* significare, quod sonat, nempe naturam humanam:

manam: nec minus existimabam naturam humanam esse ipsam hominum naturam, ac substantiam. Sed, si Verneius noster non fallitur, falsus animi eram, nam juxta illum lib. 2. p. 2. c. 5: *vox natura humana nihil aliud significat, nisi ideam, quam habemus earum proprietatum, in quibus homines sunt similes, & ab aliis distinguuntur, qui homines non sunt: reapse nihil aliud habet pro objecto.* Ignosce, Vernei, si tibi non annuo, quandiu mentem tuam non assequor. Primum enim dubito, utrum velis, quod vox *natura humana* non significat naturam humanam, an quod *natura humana nihil aliud sit, nisi idea, quam de ipsa formamus.* Quæro deinde, si illa vox non habet nisi ideam pro significato, idea ipsa quidnam habet pro objecto? Vox hæc *natura humana* habet, opinor, pro significato, quod idea respondens huic voci habet pro objecto: atqui idea non habet pro objecto se ipsam, sed naturam humanam; ergo vox non habet pro significato solam ideam, sed naturam humanam. Hanc autem esse ipsam hominum essentiam, ac substantiam, nemo hominum negabit. Scire etiam volo, an tibi vera sit hæc propositio: *Verbum Divinum assumpsit naturam humanam?* Nam, ut illa vera esset, deberet natura humana esse res, quæ existeret, deberet significatum hujus vocis *natura humana* esse à Deo assumptum: utrunque autem tuâ sententiâ falsum est; negas enim primum loco cit; & teneris secundum negare: neque enim Deus assumpsit ideam proprietatum, in quibus homines sunt similes. Si hæc tibi in mentem venissent, illam tu absurditatem proferres?

Vulgatam hanc definitionem: *homo est animal rationale* non esse definitionem nominis, sed rei, quæ ipsam hominis essentiam declarat, Philosophorum fere omnium consensione certum est. Sed si Verneium audimus, (x) definitio illa est nominalis,



·minalis, quæ solùm explicat, quid significet nomen *homo*; hominem verò ipsum non explicat. Neque hoc tantùm effutit, quod est ignorantia; sed, quod audacia est, in Aristotelem, Aristotelicosque invenitur, (y) quòd peccent hoc peccatum, quod hoc flagitium admittant, ut res ipsas definire se putent, cum sola nomina definiunt. Nimis vehemens, & concitatus es, Vernei; ohe; mitius, ac maturius. Definitio hæc *animal rationale non hominem ipsum, sed ejus nomen definit*? Cur, quæso. Quia explicat, quid significet vox *homo*. Explicat id sanè, non tamen directè; neque enim habet pro objecto vocem: sed indirectè; cum enim declarat, quid sit res significata per nomen *homo*, indirectè, & consequenter declarat, quid eo nomine significètur. Si hoc satis est, ut illa definitio non sit realis, nulla realis esse poterit; omnis quippè definitio, quæ rem aliquam explicat, rem explicat significatam per aliquod nomen, cujus significationem declarat, dum illius significationem explicat.

Illam definitio, inquis, non satis declarat, quid sit homo; quia non declarat, quid sit animal, quid rationale. Hoc tu argumento Aristotelem incessis? Herculem, ut dicitur, talitro percutis. Non declarat illa definitio, quid sit animal, quid rationale, quia non est definitio animalis, aut rationalis; sed declarat, quid sit homo, cujus est definitio. Dices explicari non posse, quid sit homo, quin explicetur, quid sit animal, quid rationale. Sed absurde id dices: nam sicut possum definire hominem, quin definiam animal, aut rationale; ita possum explicare essentiam hominis, quin explicem essentiam animalis, aut rationalis. Nimirum definitio est explicatio definiti, non verò illarum partium, per quas definitum explicatur; proinde explicat speciem per genus, ac differentiam; sed genus ipsum, ac diffe-

---

[y] Pag. 150.

differentiam non explicat. Neque ut totum explicetur per partes, necesse est, ut partes ipsæ explicentur, sed satis est, quod exprimentur; sunt enim per se, ut simpliciores, ita clariores, quàm totum. Sic divisio hominis in corpus, & animam est vera hominis divisio, licet corpus in suas partes non dividat. Sic per te definitio illa  $\equiv$  *homo est animal rationale*  $\equiv$  explicat significationem hujus nominis *homo*, licet non explicet significationem hujus *animal*, aut istius *rationale*. Sic etiam per te hujusmodi definitio *horologium est machinatio, que vel stylo, vel percussione ostendit, quota sit hora diei*, est explicatio horologii, quam affers in exemplum definitionis realis (z) quamvis non explicet, quid sit machinatio, quid stylus, &c. Vides quàm facilè in te vulnus retorserim, quod tu Aristoteli intentaveras. Atqui eadem facilitate, ac evidentia Philosophum, quem tu immaniter supra Deiphobum sauciasti, à reliquis tuis ictibus fartum tectum præstare poteram, si id mihi propositum esset: verum ego non Aristotelem suscepi defendendum, sed Verneium impugnandum.

Vulgare, ac certum est, propositiones affirmativas non verificari per inclusionem prædicati in subjecto, sed per identitatem inter rectum subjecti, & rectum prædicati; hanc enim, & non illam significat verbum *est*: hanc, & non illam affirmamus, cum affirmationem aliquam proferimus, sive cum dicimus: *hoc est illud*: hanc removemus, cum aliquid negamus, sive cum dicimus: *hoc non est illud*; nam *hoc non esse illud, est hoc ab illo distingui*; *hoc esse illud, est hoc cum illo identificari*. Si ergo habeatur identitas, etiam sine inclusione, affirmatio erit vera, ut hæc  $\equiv$  *homo est justus*.  $\equiv$  Si habeatur inclusio sine identitate, affirmatio erit falsa, ut ista  $\equiv$  *totum est pars*.  $\equiv$  Doctrinam hanc non minus necessariam, quàm certam, nec Verneius docet, nec didicit, immo



immo illius ignarum se præbet, cum has propositiones  $\equiv$  *Deus est justus*  $\equiv$  *homo non est equus*  $\equiv$  ita explicat:  $\equiv$  *in idea Dei includitur idea justitiæ*:  $\equiv$  *in idea hominis non includitur idea equi*.  $\equiv$  (a) Ex quo inferre licet, falsam illi futuram hanc negativam  $\equiv$  *totum non est pars*;  $\equiv$  quia idem valet, atque hæc  $\equiv$  *in idea totius non includitur idea partis*,  $\equiv$  quam falsam esse constat. Est & alius error in hoc errore: nam si affirmationum sensus hujusmodi est  $\equiv$  *in idea subjecti includitur idea prædicati*,  $\equiv$  affirmatio hæc  $\equiv$  *Deus est justus*  $\equiv$  non habebit hunc sensum  $\equiv$  *in idea Dei includitur idea justitiæ*,  $\equiv$  sed istum  $\equiv$  *in idea Dei includitur idea justitæ*;  $\equiv$  prædicatum quippe illius propositionis non est *justitia*, sed *justus*.

Clavum clavo Verneius pellit, errorem errore medicatur; ait quippè justitiam, ac justum in idem recidere. Nam, inquit, dum in propositione affirmantur, eundem sensum faciunt substantiva, justitia, sanctitas, bonitas, cætera, quem adjectiva. Idem enim est  $\equiv$  *Petrus gaudet justitia*,  $\equiv$  ac dicere  $\equiv$  *Petrus est justus*,  $\equiv$  (b) Quid ais, Logicorum ineptissime? Justitia, & justus in propositione idem sunt, cum hæc propositio sit vera  $\equiv$  *Petrus est justus*,  $\equiv$  hæc autem falsa  $\equiv$  *Petrus est justitia*?  $\equiv$  Justus, id est habens justitiam, idem valet, ac justitia, quam habet? Idem est concretum, atque abstractum, subjectum formæ, ac forma?  $\equiv$  *Petrus gaudet justitia*  $\equiv$  idem profecto valet, ac  $\equiv$  *Petrus est justus*:  $\equiv$  sed quid deinde? Ergo infer: *idem valet justitia, ac justus*. Optima illatio, sed vide, an hæc sit melior: ergo idem valet, *gaudet justitiâ, ac est justus*? Si propositiones æquivalentes essent hæc  $\equiv$  *Petrus est justitia*  $\equiv$  *Petrus est justus*  $\equiv$  idem valeret *justitia, ac justus*; at, quæ æquivalent, sunt istæ  $\equiv$  *Petrus gaudet justitiâ*  $\equiv$   $\equiv$  *Petrus est justus*  $\equiv$  ex quarum æquivalentia solam

lūm

---

(a) Pag. 135. (b) Pag. 127.

lūm sequitur idem valere, *gaudet iustitiā*, ac est *iustus*. Sed jam tot errorum me tædet; qui plures velit, Verneium adeat.

## ALOYSII ANTONII VERNEII,

Malè de re Logica, malè etiam de Lusitania  
meriti, castigatio.

**N**ON est recusandum, Vernei, quin justissimas pœnas audaciæ, atque ignorantia tuæ dependas. Audacior es, quàm ut tua ignosci tibi possit inscitia: inscitior, quàm ut tua ferri queat audacia: tolerari hæc in sapientissimo scriptòre vix potest, in imperito non potest. Si is esses, qui tibi videris, par obsoletæ Philosophiæ à situ detergendæ, par novæ instaurandæ; nec minus Lusitani ii essemus, quos tu nos esse vis, in tanta litterarum luce adhuc cæci, politissimo sæculo adhuc rudes, ac barbari; magnam ex te injuriam, magnam etiam gratiam haberemus: injuriam quidem, quòd inclementer, atque atrociter nostram nobis ruditatem exprobraveris; gratiam, quòd eam depuleris. Nunc verò, cum nec in te ea sit sapientia, quam tu tibi arrogas: nec apud nos ea ignorantia, quam nobis affingis; cum neque nos simus dedocendi, neque tu docendo sis; quonam in te animo nos esse oportet, quos tu litterarum omnium ornamentis spoliasti, nec doctrinam, nisi absurdam, attulisti? Persuasum Lusitanis voluisti, nondum apud illos veræ lucem Philosophiæ obortam esse, ut methodum tuam, ac doctrinam pronis animis exciperent, cum eâ se indigos recognoscerent. Nunquam tamen à nobis obtinebis, ut aut nos Philosophiam ignorare, aut te eam scire judicemus.



dicemus. Tuam in te ignorantiam regerimus : tu nos docendos fuscipis , nos te dedocemus : tu nobis eam artem tradis , quam scimus : nos tibi ostendimus , eam te artem nescire , quam tradis.

Quid est , Vernei , subamarum tibi hoc poculum est ? De te ipso querere : *Tu te hoc intristi , tibi omne est excedendum.* Consilium præposterum iniisti , imprudentiæ , ambitionis , audaciæque plenissimum. Lusitanis , quorum gratiam captabas , quos demereri cupiebas , ignorantia nota affecisti , & à te hac injuriâ alienasti. Quid inconsultius ? Lusitaniam omnem , posthabito utroque *Aristotele* , & *Stagirita* , & *Lusitano* , tuo ingenio , quod exiguum , tuo judicio , quod nullum est , mancipatam voluisti : quid ambitiosius ! Logicam , quam à Lusitanis scriptoribus discere debueras , nos-metipso docuisti , antequam disceres : quid audacius , quid imprudentius ! Lusitaniam Verneius Logicam docet , quasi scilicet Verneius eam sciat , quasi Lusitania eam nesciat : Verneius , inquam , Lusitaniam , sus Minervam. Nec Logicam tantum docet , quam nescit , sed eam instaurat , cum mutilat , emendat , cum depravat. Illam scilicet emendat , quam mendosissime tradit : eam instaurat , cum tam multa illi adimit scitu digna , tam multa futilia , & à proposito aliena superaddit : cum demum ex scientia historiam facit , in qua ex Logicorum placitis nulla ferè demonstrantur , perpauca , eaque vulgaria referuntur. Deme Verneianæ Logicæ ineptias , atque errores , quorum multos jam attuli , plures sum allaturus : deme authoris sui laudes , & aliorum contumelias , quas homo maledicentissimus juxta , ac vanissimus passim congerit ; tum ea suppone , quæ ad Rhetoricam , ad Historiam , ad Physicam spectant , nihil reliquum invenies , & Logicam in Logica desiderabis.

O' accuratissimum Logicæ emendatorem !

G

Quam

(b) Terent. Phorm. 2. 2. 4.

Quàm aptè in te cadit, quod Sanctus Hilarion diabolo dixisse memoratur. Infederat fatan *Cazensem* puellam, Virginem Deo sacram; qua ad Hilarionem perductâ, Vir Sanctus ita dæmonem est affatus: *Dic, quare ausus es ingredi puellam Dei? Cui dæmon, ut servarem, inquit, eam virginem.* Tum Hilarion: *tu servares, proditor castitatis?* Quod Hilarion dæmoni, ego Verneio. Dic, quare ausus es Logicam agredi? Ut eam, inquis, emendarem. Tu eam emendes Logicæ depravator? Utilis tu illi esles, quæ tibi ita inutilis fuit, ut ipse fateâre, (c) nunquam te regulis adjutum fuisse, ut quidquam probares? Sed non proinde operam perdidisse te putes: librum utilissimum edidisti: quem ad finem, rogas? Ut omnes ex te discant tuam in re Logica ignorantiam; ut pauci illi, qui tuam inflabant jactantiam, perspectâ operis absurditate, conticescant: ut cùm posterî legent, te nobis Logicæ ignorantiam objecisse; legant etiam, te illam ignorasse: ut, sicut Lusitani omnes, omnesque scholastici tuâ linguâ vapulavimus, ita tu omnium judiciis, ac sermonibus vapules.

---

 PARS

[c] Lib. 2. cap. 7. pag. 73.



## P A R S II.

## F U R F U R

DOCTRINÆ ADSCITITIÆ:

I D E S T,

SENTENTIÆ ABSURDÆ,

ALIO' SPETANTES,

[Quas Verneius in Logicam suam adscivit.

**C**U'M Logica Verneiana magnam partem non sit Logica, magna etiam pars errorum, quibus scatet, ad Logicam non attinet. Eos Verneius errandi ambitiosus ex Novatorum Philosophia corrogavit, in Logicamque accersivit, ut artem suam, non sciendi, sed errandi, pleniorē dare: In quo Verneii iudicium, ingeniumque ex æquo elucet; primum, quòd abortivos alieni ingenii fetus adoptet, probetque ut plurimum absurdas aliorum sententias: alterum, quod eas ita absurdè proponat, ut absurdiores faciat, cum facit suas. Utrumque ex vero à me dici, sequentes absurditates demonstrabunt.

## ABSURDITAS I.

*Falsum est, mentem creare suas idéas. (d)*

**A**DESTE hùc, Verneii tibicines, ventósi capitibus inanissimi inflatores: vos, inquam, novæ aucupes Philosophiæ, quibus Verneius sapit, Aristoteles dissipit, adeste: Oraculum Apolline vestro dignum, dignam Verneio sententiam audite. Mens idéas suas non creat, idest; uti ipse explicat; cognitiones suas non operatur, non agit, non producit. Aut cognitiones non sunt operationes mentis, aut sunt operationes mentis, quin eas mens operetur. Aut illæ non sunt actus intellectûs, aut sunt actus intellectûs, quin intellectus eos agat. Quid est, Verneii buccinatores, hæc Aristotelis vestri sententia vobis placet? Adeòne mentem abdicastis, cum eam Verneio addixisti, ut propositionem tam absurdam, tam abhorrentem, tam apertè falsam probetis? Nondum Magistri vestri vos pudet, cum ab illo auditis, mentem actus suos non agere? Siquis rationis actus esse posset, quem ratio non eliceret, hic profectò esset; adeò enim rationi dissonus est, ut mirum videatur, ab ullo intellectu eum concipi potuisse: potuisse, inquam, intellectum de se negare, quòd sit principium intelligendi, atque adeò, quòd sit intellectus: potuisse agendo dicere, se nihil agere; potuisse eum actum producere, quo suos ab se actus produci negat. Sed quando Verneius exemplo ostendit, eum actum elici posse; ostendam ipse, illum ab homine Catholico elici non debere, ab homine Philosopho, & sano non posse.

Primum igitur ab homine Catholico dici non debet, mentem nostram non producere suas idéas. Cur ita? Quia hæc propositio, satis per se  
abfur-

---

[d] Lib. 2. cap. 4. pag. 62. coroll. 2.



absurda, secum trahit aliam absurdiorē, nempe hanc = *Voluntas volitiones, & nolitiones suas non agit* = quæ planè erronea, & fidei contraria videtur. Vtrum horum infirmari potest? Hujusmodi propositionem = *Voluntas non producit suos actus* = esse fidei contrariam? An illam deduci ex illa Verneiana = *mens cognitiones suas non agit*? = Neutrum sanè potest. Non primum; siquidem Tridentinum sess. 6. Canon. 4. damnat asserentes: *Liberum hominis arbitrium ... nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere.* Quæ damnatio cadit etiam in hanc = *Voluntas actus suos non agit* =; si enim illos non agit, nihil omnino agit, merèque passivè se habet: si volitiones, & nolitiones suas non operatur, nihil Deo cooperatur. Sed neque erit libera, si non sit principium activum suorum actuum; in creatis enim facultas libera necessariò activa est, ut Philosophi, Theologique demonstrant. (e) Ex quo etiam capite erronea est illa propositio; quia, dum voluntati nostræ adimit vim activam, illi adimit libertatem, quam fide constat illi inesse. Negari igiur non potest propositionem illam esse fidei contrariam.

Sed neque negari potest, eam erui ex doctrina Verneiana, probèque deduci ex illa propositione = *intellectus cognitiones suas non agit*: = ex terminis quippè non magis est voluntas principium volendi, quàm intellectus principium intelligendi; nec minus est intellectio actus intellectus, quàm volitio, aut nolitio actus voluntatis: ergò si intellectus non sit principium intelligendi, nec voluntas erit principium volendi: si intellectio non sit actus intellectus, volitio non erit actus voluntatis; id est; si illa ab intellectu non producat, neque hæc à voluntate producat. Voluntas, inquires, est libera.

[e] Videtur M. Suar. ditp. 19. Methaph. lect. 2.

bera, non item intellectus. Ita sanè est, sed non ita foret, si intellectus non esset activus; tunc enim voluntas etiam activa non esset, ut modo ostendi, & consequenter non esset libera. Confirmo. Idè anima juxta Verneium non producit cognitiones, quia ignorat, quid sint cognitiones, & nequit agere, quod ignorat: atqui etiam ignorat, quid sint volitiones; neque enim hæ sunt nobis magis notæ, quàm illæ: ergò eadè ratione, qua anima cognitiones suas non agit, etiam non aget volitiones. Hæc ita manifesta sunt, ut pronuntiare non dubitem, propositionem illam, quæ adimit intellectui suorum actuum productionem, periculosam, & errori proximam videri; siquidem, eà admitta, nihil pronius est, quàm ut voluntati denegetur activitas, ac libertas, contra quam à fide edocemur.

En tuam, novator, doctrinam, vestramque, novatores, absurdam, lubricam, erroneam. Præclara illa Logicæ emendatio, quam tu, alpha sciorum, quam vos, putidissimi scioli, tanto aliorum contemptu, tantà Lusitani nominis injuriâ in Cælum effertis: hæc demum est, ut Logica rationis magistra, Fidei alumna, rationi passim repugnet, fidei etiã alicubi non cohæreat. Et tamèn hæc Logicæ emendatio emendata jam est, repurgataque à propositionibus bene multis, ac malè sanis, quibus hic nullius fidei author eam primum respererat. Quid dicam, ipse optimè intelligit.

Redeo ad institutum; & quam propositionem negavi ab homine Catholico dici debere, nego etiam à Philosopho, ac sano dici posse: hujusmodi enim est, ut certissimæ Philosophiæ, ac rationi adversetur. Quid certius, quàm intellectum nostrum intelligendo vivere, nec victurum, si velut inanime quoddam nihil omnino ageret, merèque passivè se haberet: ut certè quidem se haberet, si actus suos non ageret? Quid vulgarius, quàm intellectum esse



esse actum vitalem respectu intellectûs ; hoc ipso autem debere esse ab intellectu , tanquam à principio , & in intellectu , tanquam in subjecto ; quia actus vitalis est immanens ab intrinseco , idest , manet intra principium , à quo est : sive , ut cum *Augustino* loquar , (f) *intus gignitur , nec a nobis discedit , cum gignitur ?* Quid manifestius , quàm quòd intellectus tribuat existentiã intentionalem objecto , quòd cognoscit ? At si cognitio non debet intellectui , quòd existat physicè , etiam objectum illi non debet , quòd existat intentionaliter ; siquidem intentionalis existentiã objecti consistit in existentiã physica cognitionis. Scio hujusmodi argumentis qualem qualem responsionem afferri posse ex quorundam Recentiorum sententiã : sed probe etiam scio , neque hanc sententiã , neque illam responsionem satis probabilem esse.

Vide tamèn , Vernei , quantis rationum præfidiis septus sim. Argumenta hæc tanti apud Philosophos ponderis volo esse inefficacia , volo esse levia , volo esse nulla. Nihil etiam valeat , quòd mens attendit ad objectum , quòd cogitat ; hæc autem attentio ad objectum importat conatum physicum potentia , adeòque actionem physicam. Nihil etiam , quòd intelligere est intellectum in se exprimere , & quasi pingere objectum ; exprimere autem , & quasi pingere objectum non est merè recipere illius expressionem , atque imaginem , sed eam agere : neque enim Alexandrum pingit tabula ; aut tela , quæ recipit illius picturam , sed artifex , qui illam agit. Nihil demum , quòd intellectio nostra sit verbum mentis , de cujus ratione est , quòd producat ab ipso intellectu , cujus est verbum , ut cum *Magno August.* (g) plerique Theologi , ac Philosophi docent.

Nullam hæc omnia vim habeant : hoc unum  
mihi

---

(f) Lib. 9. de Trinit. c. 7. (g) Ibid.

mihî responde : cui usui sit Logica , si intellectus actus suos non elicit ? Si mens cogitationes suas non agit , nec est , ut ita dicam , cogitandi artifex ; quorsum illi ars cogitandi ? Quorsum regulæ præscribentes intellectui , quid agere debeat , si hic agere nequit , quod ipsæ præscribunt ? Potest juvari ab arte , qui efficere nequit artefactum ? Potest ad agendum dirigi , quod activum non est ? Potest documentis uti , qui exequi nequit , quod documenta dictant esse exequendum ? Atqui ita se habet intellectus in tua sententia. Logica illi præscribit , ut eliciat cognitiones rectas ; sed ipse nec rectas , nec vitiosas elicere potest , cum omnino non sit illarum activus. Præcipit , quid agi debet , sed illi præcipit , qui agere non potest. Regulæ Logicæ , inquit , non præcipiunt intellectui , ut producat cognitiones rectas , quod ipse non potest , sed ut rectè cognoscat , uti certè potest. Ineptè : si enim intellectus cognoscat per cognitiones ab alio productas , non ipse , qui cognoscit , sed ille , nescio quis , qui cognitiones producit , dirigendus est : nec præcipiendum intellectui , ut cognoscat rectè , sed principio cognitionum , ut ipsas non nisi rectas producat.

Ratio evidens est ; quia intellectus in eo eventu non esset principium activum artefacti Logici , puta argumentationis , sed merum illius passivum ; adeoque non esset artifex , sed subjectum artefacti , ad eum modum , quo tabula est subjectum picturæ : ars autem non dirigit potentiam mere passivam , sed activam , cum sit complementum causæ efficientis : nec juvat subjectum artefacti , ut recipiat , sed artificem ut agat ; nisi velis , ut pictoria dirigat potius tabulam , quam pictorem. Macte hac tua singulari doctrinâ , Clarissime Logicæ author , ac eversor , qui eadem operæ activitatem intellectui , Logicæ utilitat in abstulisti. Optimè de re Logica , quam intellectus artem esse non finis , optimè de

huma-



humano intellectu , quem intelligendi principium esse negas , meruisti. Jam tu sanè Logicam intellectu indignam reddideras , nunc intellectum Logicæ incapacem reddidisti.

Unum ex te scire cupio , ecquam cognitionum causam esse velis , quando eam nonvis mentem esse ? Excidit enim tibi , cùm manifestum illarum principium sustulisti , ignotum aliud ejus loco subrogare : nam cùm ideæ nec à mente indistinctæ , nec ipsi innatæ tuâ sententiâ sint , necesse est , ut ab aliqua causa producantur. Æqua autem hæc causa fit ? An solus Deus ? Non puto , id te dicturum ; tùm quia toto c. 3. & 4. id minimè innuis , sed oppositum ; tùm quia hujusmodi recursum ad Deum alibi damnas ; (h) tùm demùm , quia inde fieret , ut mens nostra non falleretur ex se , sed Deus eam falleret ; siquidem non produceret ipsa suos actus falsos , sed à Deo productos acciperet. An species ? Eas tu inter Peripateticorum fabulas recenseres. (i) An sensus ? Lapidum hoc esset denegare intellectui productionem cognitionum spiritualium , & sensibus eam concedere ; atque adeò velle , ut sensus , agant , actus alienos , intellectus non agat suos.

An objectum ? Hoc unum est , quod superest ; atque hic unus esse potest doctrinæ tuæ sensus , cùm ais , ideâs omnes accipi ab objectis , quæ extra sunt , & per sensuum fenestras in animum ingredi. Quod ego sic interpretor , ut objectum producat ideâs , ipsæ verò jam productæ , per sensus , quasi per fenestras , aditum sibi in animum faciunt , qui , ut ipse inquis , eas accipit , utique jam productas , & nescio quo in loco conservat. Et quidem , cùm mens eas accipiat ab objectis , nec ipsas producat , consequens est , ut eas jam productas , accipiat. En sententiam tuam à te ipso nec satis explicatam , nec probè intellectam ; neque enim cogitas , intelligis-ve,

..... H ..... quid

quid dicas. Ea verò ita est absurda, ut impudens sis, si te illius non pudeat; nihil enim absurdius dici, cogitarive potest, quàm quod solum objectum materiale, quod extra nos est, & sæpe à nobis distat, producat cognitionem spirituales, eamque productam per aerem, ac sensus ad cerebrum usque transmittat.

Satis ne tibi hanc doctrinam excussisse videor? Satis, opinor: ejus fundamentum excutiamus. Nullus hominum, inquis, primæ productionis idéam claram habet; nullus intelligit, quid sint cognitiones mentis: itaque imprudenter affirmat esse, quod non intelligit. Ain tu verò? Ergò imprudenter affirmamus, esse cognitiones mentis; etenim, ut ais, imprudenter affirmamus, quod non intelligimus, & non intelligimus, quid sint cognitiones mentis. Respondebis, non id te dicere voluisse: fateor; modo ipse fateare, te loqui nescire, cum aliud dictum velis, aliud dicas. Non tu id voluisti, sed argumentum tuum hoc sibi vult; neque enim alius esse potest sensus hujuscæ probationis tuæ:  $\square$  non intelligimus quid sint cognitiones mentis: ergò imprudenter affirmamus esse, quod non intelligimus.  $\square$  Probationem itaque reforma, eamque ita concipe:  $\square$  non intelligimus quomodo mens idéas suas producat: ergò imprudenter affirmamus mentem illas producere.  $\square$  Jam tu melius loqueris, sed pessimè ratiocinaris; multa enim prudenter affirmamus esse, multa etiam evidenter esse scimus, quæ non intelligimus, quomodo sint. Audi te ipsum eodem lib. c. 2. *Quo pacto mens objectu corpora sensibus percipiat, nemo homo intelligit, nec expediet: unum certo scimus, utramque reapse eventire.*

Pergis. Deinde, si mens cognoscit, quod creat. jam primam idéam non creat: si non cognoscit, faciet, quod ignorat. Ita sanè; Vernei, omnium nostrum anima multa facit, quæ ignorat: tua peculiare



liare hoc habet, quòd ignoret, quid dicat. Si ipsa sciret, quid diceret, incommodum non putaret, mentem facere, quod ignorat, cùm ipsa fateatur, mentem ignorare, quæ facit. *Humana mens*, inquis pag. 58; *eâ conditione est, ut id ipsum, quod efficit, frequentissimè non advertat.* Et pag. 47. *plura fortasse agit animus, dum est in corpore, quæ nos omnino ignoramus.* Probationem tuam ita concludis. *Cum idæ sint imagines rerum, tam est verisimile, mentem, quin cognoscat, producere imagines, quàm est verisimile, pictorem stilo adumbrare hominem posse, quem nunquam vidit.* Belle, idest, *Verneianè.* Sed ego ex hac doctrina infero primò: ergò quemadmodum pictor nequit hominem artificialiter adumbrare, quin prius eum mente concipiat, ita mens nequit objectum intentionaliter exprimere, quin prius illud cognoscat, & consequenter nequit cognoscere objectum antea incognitum. Infero iterum: ergò sicut artifex pingere nequit, quin sciat modum, quo pingit; ita mens nequit percipere, quin sciat modum, quo percipit. Hoc autem est falsum, si verum est, quod ipse doces, nempe hominem, atque adeò mentem hominis non intelligere, quo pacto objecta percipiat. Infero ultimò: ergò objectum, aut sensus, aut quidquid illud est, quod tuâ sententiâ est causa secunda, atque externa nostrarum cognitionum, præcognoscit earum objecta; siquidem producit eorum repræsentationem, atque imaginem.

Distingue, Vernei, artem à natura: illa non agit, nisi dirigendo: hæc non indiget directione, ut agat: quare, cùm pictura sit opus artis, præsupponit idéam in artifice; cognitio verò, cùm sit opus naturæ, non præsupponit ex genere suo aliam cognitionem in mente. Sed tecum pugnare jam parco, ut ipse de more tecum pugnes. Negas tu fanè, mentem cognitiones suas producere; sed hoc ipsum disertè affirmas pag. 49. his verbis:

H ii

Cogni-

*Cognitio, dum ad mentem fertur, quæ eam generat, dicitur perceptio... Omnino autem certum est, humanam mentem has duas cognitiones elicere, &c. Generat ergo mens nostra, atque elicit cognitiones suas, quod ipsum est eas producere. Ibidem, & sæpe alibi cognitionem appellas actionem, & operationem mentis, supponisque proinde mentem esse, quæ illas operatur, atque agit. Quis neget Verneii mentem multo ampliorem esse, quam nostram? Nostra duo contradictoria non capit: illius capit.*

## ABSURDITAS II.

*Mens perceptiones suas nescio quo in loco conservat, ut inde, cum opus est, sumat. (1)*

**T**AM inscium se prodit Verneius, cum scire quidquam se putat, quam cum aliquid se nescire profitetur. Scire putat, mentem nostram, cum actu non cogitat, cogitationes, quas habuit, alicubi conservare; sed ubinam eas conservet, fatetur nescire. In utroque tamen inscitiam suam patet facit: primum quippe est falsum: alterum verò est perspicuum; si primum quidem supponatur. Mentis oculos Verneius ita comparatos habet, ut veritatem ibi videat, ubi ipsa non est: ubi est, non videat; siquidem ab illo id scitur, quod est falsum: id ignoratur, quod est perspicuum. Falsum est, quod mens, cum cessat cognoscere, suas alicubi cognitiones servet; ut infra ostendam: en quod ab illo scitur. Perspicuum est, ubi cognitiones conserventur, si quidem conservari supponantur: en quod ab illo ignoratur. Docendus proinde id, quod se ignorare profitetur: id autem, quod scire se putat, dedocendus.

Igno-

---

[1] Lib. 2. cap. 3. pag. 55. n. 3.



Ignoras , Vernei , ubinam mens cogitationes suas fervet , quando iis non utitur ? Id facile à me discas : si eas servat , servat in mente , sive in se ipsa . Dubitas ? Hæres ? Nimis es in tuto cautus , qui in lubricis temerarius , ac præceps esse soles . Omitte , quæso , dubitare : eadem certitudine , qua constat , cogitationes mentis non esse immediatè in corpore , constat etiàm , eas , si sunt , menti inesse . Actus intellectûs sunt accidentia spiritualia : quia sunt accidentia , necessariò insunt alicui subjecto : quia sunt spiritualia , necessariò non sunt in corpore , sed in anima : sicubi igitur sunt , in anima , ac mente sunt .

Quid tergiversaris ? Certissimum est , mentem , si actus suos retineat , quando jam iis non utitur , illos in mente , ac memorià retinere . Cum autem indubitatum sit , mentem in cerebro residere , dubitare noli , cogitationes nostras in cerebro asservari , si modò alicubi asservantur . Scio , eam tibi metaphoram non probari , qua memoria à nonnullis appellatur *theca* , *repositorium* , ac *receptaculum idearum* ; ut enim habes lib. 2. c. 3. (m) voci *theca* , *repositorium* , ac *receptaculum* , cum animo nostro , attribuitur , nulla clara idéa respondet : proinde est sonus inanis , quo decipiuntur imprudentes , & cui obscurissima tantùm adjungitur idéa . Sed scio etiam , reprehensionem hanc tuam maiori vi in te recidere , qui peius aliquid usurpas , tanquam doctrinam ; quàm , quòd dici vetas , tanquam metaphoram . Longè aptius dicetur idéas in memoria reponi , quàm in loco nescio quo asservari ; neque enim idéæ insunt per se loco , sed menti : proinde multo aptior est illa propositio ,  $\equiv$  *memoria est repositorium idearum* ,  $\equiv$  quæ à te tantopere reprehenditur , quàm hæc assertio ,  $\equiv$  *idéæ servantur in loco* ,  $\equiv$  quæ ab eodem te ineptissimè adstruitur . Locus ille nescio

quis,

(m) Pag. 107,

quis, in quo servarentur idéæ, nonnè citra metaphoram esset repositoryum idéarum? Aut ergò clara idéa respondet his vocibus, aut non respondet tuis. Aut tu injurià eam locutionem exhibilas, aut absurdè illam usurpas. Certè graviùs reprehendi debes, quàm quos reprehendis; cum verum esse velis, quod ne quidem per metaphoram dici permittis.

Ostendi perspicuum esse, quo loco mens idéas suas servatura esset, si eas uspiam servaret: modò falsum esse ostendam, quòd mens eas servet, cum ipsis non utitur. Et primò quidem mirari libet, quòd mens; quæ juxta Verneium, non producit idéas, cum cognoscit; eas conservet, cum non cognoscit. Mens scilicet nihil agit, cum intelligit; agit verò, cum otiaur. Cur, quæso, non producit intellectus cognitiones suas? Quia producere nequit, quod ignorat; ignorat autem quid sint cognitiones. Atqui eadem ratione nequit illas conservare: si enim non potest aliquid producere, ignarus, quid producat; non potest etiam aliquid conservare, ignarus, quid conservet, & ignarus loci, ubi ipsum conservat. Atque huc rëdit exemplum pictoris, qui, sicut nequit eum hominem delineare, quem de facie non novit, ita conservare nequit imaginem in loco, quem ipse nesciat.

Hæc ad hominem: nunc pro re nata. Mens, cum cessat à cognitione alicujus objecti, non eam conservat, sed amittit; sicubi enim conservaret cognitionem, à qua cessat, eam conservaret in se, sive in mente: si autem cognitionem in se ipsa conservaret, ac in mente retineret, ab eâ non cessaret. Quemadmodum enim anima non cessat amare, quandiu amorem conservat, nec dolere, quandiu patitur dolorem, ita etiam non cessat cognoscere, quandiu habet cognitionem. Notio ipsa terminorum id palam ostendit; nam si existit cognitio objecti, objectum est cognitum: si objectum est cognitum, potentia



tentia illud cognoscit : cùm ex terminis repugnet cognitio sine cognito, aut cognitum sine cognoscente : ergò ex opposito, si potentia non cognoscit, cognitio non existit, nec in illo subjecto, aut loco conservatur.

Satis hæc Verneianæ assertionis falsitatem demonstrant; sed non satis ejus absurditatem declarant. *Servat anima cognitiones suas in loco, quem ipsa nescit, & inde, cùm opus est, eas educit, ac sumit.* Audio, sed primum quæro : quomodo anima exinde eas sumat, si illas non invenit? Aut quomodo eas invenit, si ignorat, ubi ipsæ sunt? Quod argumentum maiorem apud Verneium vim habet; cùm juxta illud, (n) anima agere non possit, quod ignorat. Quæro deinde : cuinam subjecto inexistant idéæ illæ, quas mens ad manum habet, ut eis utatur, cùm velit? An corpori insunt? At sunt spirituales. Num animæ? Si illas anima in se haberet, non eas inde arriperet, ubi ipsæ asservantur : præterquamquòd juxta Verneium nulla est cognitio, quæ perpetuò adsit menti. Superest ergò, ut cognitiones nostræ, cùm iis non utimur, sint extra omne subjectum, tanquam substantiæ. Neque mirandum, si id velit Verneius : quidni enim cognitio videatur substantia, cui species intelligibilis videtur spiritualis natura. Ita eam Verneius appellat, cùm ipsam rejicit : (o) satius enim putat admittere impossibilem hanc idéarum conservationem, quam necessariam illam specierum existentiam.

Quæro tertio : an in illo idéarum repositorio, quod ipse adstruit, qui illud negat, amice conjungantur actus oppositi, scientia nimirum, atque error,

---

[n] Pag. 62. coroll. 2. (o) Pag. 64. coroll. 5. ubi sic ait :  
 ☞ nullis documentis, nulla experientia efficitur, humanam mentem talem vim habere, ut possit dare rei corporeæ [ idest phantasmati ] facultatem producendi spiritalem naturam ☞ ( idest speciem intelligibilem )

ror, assensus, & dissensus circa idem objectum? Quæro ultimò: an; sicut mens ita provida est cogitationum suarum asservatrix, ut eas recondat in loco, ne ipsi quidem noto; pari etiam providentia utatur voluntas in actibus suis recondendis, atque asservandis? Ita opinor: cur enim recognoscam objectum eâdem, qua prius, cognitione, & non illud reamabo eodem amore, quo prius? Quod si concedatur: videndum, an voluntas conservare possit odium, cum amat, desperationem, cum sperat, amorem Dei, aut actum contritionis, cum peccat. Expendenda tibi hæc omnia, si propositam absurditatem velis expendere.

### ABSURDITAS III.

*Color, sonus, odor, sapor, color, ac frigus nihil sunt extra animam. (p)*

**D**OCUIT olim *Democritus*, (q) postea *Cartesius*, qualitates sensibiles non esse quidpiam extra animam corporibus ipsis inexistentes, ut omne hominum genus existimat; sed meras esse affectiones sensuum, aut animi perceptiones. Placuit hoc Novatoribus, placuit Verneio, cui peregrina omnia, & à communi sensu aliena placent. Quid tamen? Opinamentum hoc satis per se ineptum, atque absurdum, tam ineptè proponit, tamque absurdè probat, ut ne ipsis quidem Novatoribus placiturum jam putem. Quod ut clarius proponam, indicabo primùm, quàm illud sit per se absurdum: tum ostendam, quanta ipsi à Verneio absurditatis accessio facta sit.

Et primo quidem sententiæ hujus absurditas

---

[p] Lib. 4. p. 1. toto cap. 4. de fallaciis sensuum. (q) Apud Empiricum contra Mathematicos lib. 2.



tas ex nuda ipsius propositione constat. *Ignis non est calidus : nix non est frigida : sol non est lucidus : quod videtur , non est coloratum : quod palato sapit , non est sapidum : quod auditur , non est sonorum : quod sentitur , nullam in se habet affectionem sensibilem : propositiones sunt ex terminis ipsis absurdæ , & à communi hominum sensu abhorrentes ; quas is tantùm veras existimabit , qui maiorem Cartesianis fidem , quàm sensibus nostris , quàm toti humano generi habendam duxerit. Sic enim est : aliud hi recentes humani generis magistri , aliud universum hominum genus nos docet ; aliud Novatorum philosophia , aliud sensuum experientia nobis repuntiat : utrisnam credendum ? Aut Cartesianos desipere , aut , quod reliquum est hominum , decipi necesse est : utrùm horum dicendum ? Hostiam consecratam non esse re ipsa panem , nisi Deus diceret , nemo crederet. Cur ita quæso ? Quia totam panis sensibilitatem præsefert ; quia panis omnino videtur ; quia sensus integri , ac perfecti testantur , eam esse panem. Atqui etiam sensus integri , ac perfecti testantur , ignem esse calidum , solem esse lucidum , & quidem immediatius , ac certius : siquidem calor ignis cadit immediate sub experientiam tactûs ; substantia autem panis non cadit immediate sub experientiam sensuum : ergo ignem non esse calidum , solem non esse lucidum , mysteria sunt Cartesianæ Philosophiæ , quæ nemo sibi persuadere debet , quandiu id Deus non docet , sed Cartesius.*

At enim hæc doctrina , licet sensibus adversetur , argumentis probatur. Si hoc verum esset , adhuc ego contra huiusmodi Philosophiam usurpationem illud Ambrosii. (1) *Validius est naturæ testimonium , quàm doctrinæ argumentum.* Sed opus non habeo præclaro hoc documento ; nullum quippe pro hac sententiâ argumentum affertur , quod alicujus

I

ponde-

(1) 6. Hexam. c. 4.

ponderis sit, nedum quod certissimæ hominum experientia, persuasionique præponderet. Immo, si hanc Novatorum doctrinam excutias, reperies; eos gratis loqui ita absurdè; re ipsa enim admittunt, quod verbo negant, sed terminis ultrò abutuntur, ut contra omnes loquantur. Non negant illi inesse aliquid igni, quod tactui admotum sensum afficit, animamque determinat ad sensationem illam, ac perceptionem, quæ nobis videtur sensatio, ac perceptio caloris; sed ita loqui amant absurdè, ut caloris nomen non tribuant illi entitati, aut illi modo, qui sensationem determinat, sed sensationi ipsi. In igne, inquit, est calor effectivus, in anima vero formalis. Immo verò in igne est calor formalis, in anima perceptio caloris, quæ hoc ipso, quod sit perceptio, ac sensatio caloris, non est calor; siquidem non est perceptio, ac sensatio sui, sed objecti distincti. Uter nostrum aptius loquitur? Qui calorem sentiri ait, an qui ipsum sensationem esse dicit? Qui calorem vocat proprietatem ignis; an qui ita appellat actum animæ? Uter est calidus, mens, an ignis, spiritus, an corpus? In igne, inquis, non est qualitas ulla Peripatetica, quæ sit calor. Esto: at est in igne aliquid, quod sentitur, cum calor sentiri dicitur; quod manui communicatur, cum manus dicitur calefieri. Hoc ipsum calorem appello, sive illud qualitas sit in sensu Peripatetico; sive sit motus; sive cum ipsa ignis substantia identificetur; sive ab illa distinguatur: non enim interim quæro, quid sit calor ignis, sed an sit in igne. Idem in coloribus, ac sono conficitur: neque enim adversarii negant, aut negare possunt, multiplicem illam modificationem lucis, in qua colorum varietas sita est; nec eum motum, ac tremorem, primum corporis sonori, deinde aeris, postea organi auditorii, in quo sonus consistit: sed quia loqui gaudent contra omnes, sonum sonum, colorem colorem dici vetant.

Viden,



Viden, qualem sententiam Verneius adoptavit? Vide modò, qualem ipse eam reddiderit. Repugnabat illa experientiae sensuum, & communi hominum apprehensioni; nunc sibi metipsum contradicit: antea manifeste inopinabilis; nunc evidenter impossibilis: Verneius quippe alienae falsitati sententiae, ex suo addit doctrinae inconsequentiam, & terminorum repugnantiam. Negat corporibus calorem, ac frigus; negat sonum, ac saporem; sed lucem iis non negat; immò eam adstruit pag. 122, ubi sic ait: *Lux componitur ex figura particularum corporis luminosi, ex motu earundem, &c.* tum hoc ipso lib. & cap. ubi ex professo negat alias corporum affectiones; siquidem pag. 194. de coloribus edisserens, ita habet: *Objecta corpora pro superficie magis, vel minus scabra sunt causa, cur lux hoc, vel illo modo oculum afficiat, &c.* Ignis ergò lucem habet, calorem non habet: visus habet pro objecto lucem, sed auditus non habet pro objecto sonum: lux est in corpore, sonus est in anima.

En manifestam doctrinae inconsequentiam: en rursus manifestissimam terminorum repugnantiam. Pag. 194. negat, colores esse in objecto corpore: pag. 41. corpus definit *id, quod colorem habet.* Pag. 195. statuit, *sonum non esse rem, quae extra nos sit:* pag. 122: non sonum docet, eum extra nos esse, sed docet quid sit: *sonus, inquit, bis modis constat, collisione corporum, undulatione aeris, adfectione membranae, seu tympani auris.* Pag. 197. sic habet: *Principio calor, & frigus videntur in corporibus esse; reapse tamen non sunt:* pag. verò 225. oppositum adstruit his verbis: *Notio caloris per seipsum continetur in notione ignis, proinde hoc iudicium = ignis est calidus = est intuitivum; Et infra: vere dico, omnis ignis est calidus.*

Sed quorum contradictoria è diversis locis accerso, quasi scilicet Verneius ea eodem loco non

I in 249 11 afferat

afferat. Non solum ait, ac negat, sed negat, cum ait; eandemque sententiam, ut ex antithetis Rhetores, ita ipse ex contradictoriis contextit. Vis sonum esse, & non esse extra animam? Utrumque habes pag. 191: *Existimamus, inquit, sonum esse rem, quæ extra nos est, & de corpore sonno venit, quod tamen est falsum:* (en negat sonum extra animam:) *Nam, uti de visu docuimus, nihil aliud facit corpus sonorum, quam citissime tremere:* (en admittit sonum in corpore, siquidem admittit corpus sonorum.) *Nam tandiu corpora sonant, ut campanæ, & fides, quandiu tremunt* (en rursus sonum in corporibus trementibus:) *quem tremorem si manu, vel alio corpore impedis, cessat sonus:* (en iterum sonum extra animam.) Merito à Verneio dictum: *Existimamus sonum esse rem, quæ extra nos est, quod tamen est falsum. Existimamus, inquit, se ipsum comprehendens in numero ita existimantium, quia ipse id existimat, quod pronuntiat, falsum esse.*

Vis calorem, ac frigus corporibus re ipsa inesse, & non inesse? Expende hanc ejus sententiam. (s) *Principio calor, & frigus videntur in corporibus esse, reapse tamen non sunt* (ecce calor, ac frigus à naturâ corporeâ eliminata, brevi tamen, ut spero, reditura.) Perg t. *Id certa experientia unicuique ostendit; nam si alteram manum bonè calidam, alteram nimis frigidam in eandem aquam tepidam mergas, quæ frigida erit, calidam sentiet, contrâ verò, quæ calida frigidam.* Calidam tu manum, ac frigidam ais? Calorem igitur, frigusque habemus. In manibus nostris jam sunt, quæ modò in naturâ corporeâ non erant; ni velis, ut altera manus sit bonè calida, altera nimis frigida sine calore, & sine frigore. Eandem contradictionem observare est in aliis qualitatibus, quas ipse adstruis, cum destruis: ut cum negas, (t) *inesse lilio odorem, quia odor lili gratus est aliis,*  
aliis

[s] Pag. 197. [t] Pag. 196.



*aliis prorsus intolerabilis* : nam si odor liliæ aliis est gratus, aliis intolerabilis, odor liliæ est : ergo si odor liliæ non est, quia aliis est gratus, aliis intolerabilis, odor liliæ non est, quia est. Actum de tua Logicâ est, si tuum, Vernei, argumentum valet; nam & ipsa revera non extabit, siquidem tibi est grata, nobis verò prorsus intolerabilis.

Scio, quid tu pro te, & contra me sis dicturus; me scilicet insidiatorem sophisticum, & verborum aucupem esse; quia propositiones ex sono æstimem, non ex sensu loquentis; quem si assequi vellem, facilè intelligerem, alium esse odorem, quem lilio negas, nempe proprium, & formalem; alium, quem in ipso agnoscis, nempe improprium, & effectivum. Idem de calore, frigore, sono dicendum. Audio hæc quidem, sed ea audirem libentius, si in tempore dicta essent: si, inquam, cum calorem v. g. adstruebas simul, ac negabas, quem calorem adstrueres, quem negares, nobis dislereres. Nunc eam explicationem serò adhibes, & clypeum post vulnera sumis. Neque audiendus es, cum ais, calorem te improprium admisisse, proprium negasse: tum quia termini accipi debent in sensu proprio; nisi aliud loquens præ se ferat, cum loquitur: tum quia, si huiusmodi excusatio admittitur, nemo contradictionis reus erit; quia nullæ sunt propositiones contradictoriæ, quæ à contradictione non liberentur, si in alterâ termini accipiantur propriè, in alterâ impropriè.

Demus tamen, te eo sensu loquutum esse, quem serò explicas. Quid deinde? Tecum non pugnas quoad sensum? Esto: sed uteris terminis secum pugnantibus, ac ea profers, quæ contradictionem præ se ferunt, si iis lector ex suo nihil addat. Hoc autem satis est, ut te ineptum esse constet, dum loqui nescias, quin loquaris pugnantia. Non contradicant, quæ dicere intendis, sed contradicunt, quæ

quæ dicis : liberaris à contradictione , sed ab ineptia non liberaris. Nonne ineptè loqueretur , qui ita diceret : *Nullum corpus calorem habet , quia manus , cum habet calorem , eum in aliis corporibus non sentit.* Aut in hanc modum : *Sonus non est in aere , quia sonus , qui est in aere , non est nisi aeris motus :* atqui hujusmodi sunt propositiones tuæ. Disce igitur loqui , & quandiu non didiceris , tace.

## ABSURDITAS IV.

*Probabilius est animam rationalem non esse , nisi in capite. (u)*

**P**ROBABILIOR Verneio hæc sententia videtur ? Vereor , ne sit improbabilis : magnum quippe improbabilitatis argumentum est à Verneio probari : Vereor autem ! Immo illam improbabilem esse non dubito. Quid enim ? Nonne improbabile est , quod SS. Patrum auctoritati adversatur , & Conciliorum definitionibus adversari omnino videtur ? Atqui hujusmodi est ea sententia , quam Verneius probabiliorē putat.

Primum adversatur SS. Patrum auctoritati. Nam animam rationalem esse totam in toto corpore totam in qualibet ejus parte , non Peripatetici tantum , ac Scholastici à XIII. Christiani nominis seculo , docent , ut imperitè ait Verneius ; sed multo antè Ecclesiæ Patres docuerunt ; videlicet. (x) Basilus.

---

[u] Lib. 2. c. 1. pag. 45. (x) Basil. homil. in illud Deuter. c. 15. Attende tibi ipsi. Chrylost. hom. 34. alias 35. in Matt. Greg. hom. 5. lib. 2. in Ezechiel. Hilar. in Pl. 118. Bern. Serm. 1. in Pl. 90. Beda in elem. Philoſophiæ lib. 4. Damascen. lib. 1. Orthodoxæ fidei c. 17. Nyssenus de hominis officio c. 12. luculenter , & ex professo Augustinus de Immortalit. Animæ c. 16. epist. 28. & sæpe alibi. Adde Nemesium de Natura hominis c. 3. Hugonem Erentianum de Animarum regressu : Philippum solitariam Dioptræ lib. 2. c. 2. Niceam in thesauro orthodoxo de Deo , Angel. & Homia. c. 72. Aurel. Cassiodorum de Anun. c. 6.



silius, Chrysoſtomus, Gregorius M, Hilarius, Bernardus, Venerabilis Beda, Joannes Damascenus, Gregorius Nyſſenus, & diſertiffimè, ac ſapiffimè Auguſtinus: Novatoribus ne unum quidem habentibus, cujus autoritate tegi poſſint: Lactancius enim, qui mentem hominis in ſolo cerebro videtur collocare, locum ſibi inter Eccleſiæ Patres non vendicat. Ex quo intelligis, Vernei, rem tibi non eſſe cùm Peripateticis, ac Scholaſticis, quos tu, qua es audaciâ, contemnis; ſed cùm Patribus, quos temnere non audaciâ tantùm, ſed impietas eſt. Quanquam qui poſſunt à te Scholaſtici in hac quæſtione contemni, quin Patres, in quorum illi ſententiâ ſunt, contemnantur?

Videtur deinde hæc Novatorum doctrina Conciliorum definitiõibus adveſari: ſiquidem Concilium Vieneſe ſub Clemente V, & Lateranenſe V. ſub Clemente X. definiunt, animam rationalem eſſe formam humani corporis verè, per ſe, & eſſentialiter, adeoque omnino propriè: ex quo ſequitur, animam non eſſe in ſolo capite, ſed in toto corpore organico. Sic enim arguitur: Corpus humanum non eſt ſolum hominis caput; ſed anima rationalis eſt forma corporis humani: ergò non eſt forma ſolius capitis: ſi autem in ſolo capite inexiſteret, ſolius capitis forma eſſet verè, ac per ſe, quia ſolum caput verè, ac per ſe informaret. Neque enim anima per ſe animat, ac verè informat illud ſubiectum, quod per ſe non afficit, & ubi ipſa non eſt. Urgetur. Concilium Vieneſe proſcribit hanc propoſitionem Petri Joannis Olivi: *Anima rationalis non eſt forma informans corpus*: ergò definit animam rationalem eſſe formam informantem corpus: hoc autem non eſt ſimpliciter verum, ſi anima non informet, quod venit nomiae corporis humani, licet informet aliquam ejus partem: ſicut non eſt ſimpliciter verum, quòd æthiops ſit albus, licet ſit albus ſecundùm dentes.

Nec

Nec prodest dicere, animam in corporis arce collocatam totum exinde corpus regere; non enim in præfenti id agimus, ut anima corpori præsit, sed ut ipsum vere, ac per se informet; quod ipsa nequit præstare, quin corpori inexistat.

Quid ad hæc Verneius? „ Concilium, *inquit*, „ definit animam verè, per se, & natura sua esse „ formam, seu partem intrinsecam, & essentialem „ hominis. An verò sit forma informantem corpus eo „ sensu, quo Scholastici accipiunt, nusquam dicit „ Concilium. „ Quænam hæc interpretatio est? In „ textu habetur: *Animam esse formam corporis humani*: in explicatione dicitur, *eam esse partem essentialem hominis*; quasi verò idem sit esse partem essentialem hominis, ac esse formam corporis humani. Si hæc interpretatio rectè habet, corpus hominis erit forma corporis humani in sensu Concilii; siquidem, juxta ejus mentem, esse formam corporis humani nihil amplius est, quàm esse partem intrinsecam, & essentialem hominis; qualis certè quidem est corpus. At enim Concilium nusquam dicit, animam esse formam informantem corpus eo sensu, quo Scholastici accipiunt. Nusquam sanè. Sed si hoc Verneium tutatur, tutò ipse poterit propositiones ab Ecclesia proscriptas defendere: cum enim erroris arguatur, respondebit, Ecclesiam nusquam dixisse, eas ab se propositiones fuisse damnatas in sensu Verneii. Poterunt etiam Scholastici negare, animam esse partem essentialem hominis; Concilium quippe nusquam dicit animam esse partem essentialem hominis in sensu Scholasticorum. Nimirum videndum, quo sensu Ecclesia loquatur, nec expectandum, ut ipsa signanter dicat, se loqui in tali sensu. Porrò Ecclesiam, cum nobis edixit, animam rationalem esse formam corporis humani, & formam informantem, in sensu Scholasticorum loquutam, duo efficaciter persuadent. Primum, quòd nisi anima sit in toto

corpo-



corpore, ut Scholastici volunt, non est simpliciter verum, quòd anima informet corpus, ut docet Ecclesia. Alterum, quia Ecclesia intelligenda est loqui in sensu SS. Patrum; sensus autem Patrum in re præsentis à Scholasticorum sensu non discrepat, ut supra confecimus. Maneat ergò sententiam Verneio probabiliorem, re ipsa improbabilem esse.

## ABSURDITAS V.

*Sensationes non nisi in cerebro eliciuntur.* (y)

**V**ERNEIUS noster, licet incommoda utatur valetudine, non ægro corpore, sed capite parùm fano est: cùm enim malè habet, uti sæpe habet, nihil illi, nisi cerebrum dolet. An ille omnem sensationem, atque adeò omnem dolorem, in cerebro esse existimaret, si quidquam ipsi extra cerebrum doleret? Nos verò, quorum caput non ita malè affectum est, adduci non possumus, ut solum cerebrum sentire, contra quam experimur, judicemus. An non idcirco Verneium conabor à sententia deficere. An ille me audiet, qui Naturæ ipsius vocem non exaudit? Rationi acquiescet, qui certissimæ sensuum experientie refragatur? Probationes meas curabit, qui totius humani generis sensum contemnit? Stultus sim, si putem: vanus, si sperem: ineptus, si contendam. Verneium ergò in suamet absurditate relinquamus; atque ut ille eam non probat, neque nos ipsam improbamus.

## ABSURDITAS VI.

*Malè facere eos , qui Philosophorum Systemata Scripturæ verbis , quasi sepimento aliquo, vallare contendunt. (z)*

**H**EM! Quid aures meas vulnerat? Aut quænam hæc oratio est, quam, cum audio, non jam mihi Novatorem suspectum, sed apertum hæreticum audire videor? Malè ii faciunt, qui Philosophorum systemata Scripturæ autoritate confirmant? Et quid, rogo, mali faciunt, cum se non solum ut Philosophos, sed ut Catholicos gerunt? Aut contra quem peccant? Contra Scripturam ne, cujus autoritatem hoc ipso se venerari profitentur, quòd eâ utuntur? An contra Philosophiam, quam Sacrarum literarum Oraculis, & certissimis Fidei Veritatibus, aut insciam docent, aut dubiam confirmant? Jam si ii perperam agunt: quinam sunt, qui rectè faciunt? Ii profectò, qui in philosophicis nullam Scripturæ, ac Fidei rationem habent: atqui hoc Philosophi hæretici, illud Catholici faciunt: igitur malè faciunt Philosophi Catholici; rectè hæretici. Hæc qui dicat, nonne aut fide, aut mente parùm sanus videtur? Nonne, si catholicus sit, se amentem; si sanus, se hæreticum probat? Equidem quantum hic ardelio Catholicis Scriptoribus detrahat, quantum tribuat etherodoxis, non sine horrore jam legeram: nunquam tamen putavi, eo progressuram hominis impietatem, aut amentiam, ut, quod authores hæretici; quia impii, quia hæretici; faciunt, probaret: quod verò Catholici; quia erga Scripturam, ac Fidem benè animati; usurpant, reprehenderet.

Sed nondum Verneianæ assertionis virus detexi.

---

[z] Lib. 4. pag. 270.



detexi. Ecquod illud? Quod scilicet, si Verneius rectè dicit, Ecclesia malè facit. Nimirum ex oppositis Philosophorum systematibus utrùm autoritate Scripturæ unum probes, an aliud improbes, nihil interest: quare si malè ii faciunt, qui Scripturam adhibent ad probanda Philosophorum systemata, non minus ii peccant, qui ipsam adhibent ad Philosophorum systemata improbanda; ut est manifestum. Subsumo: atqui Ecclesia hoc facit: improbat enim, ac proscribit *Copernicanum Mundi systema*, quòd sacræ Scripturæ adversetur; ergò si Verneius rectè dicit, Ecclesia malè facit. En Verneii erga Ecclesiam observantiam, ac reverentiam: en illius pietatem: en religionem: en fidem. Hoc illud est, in quod ab etherodoxis scriptoribus, in quibus multus, ac fere totus, est hausit, ac edidicit: hoc ipsum, quod nos docere cupit bis miser, qui ita sentiat, qui ita nos sentire velit.

*Scriptura Sacra*, inquit, *data homini fuit, non ut nos Logicos, Methaphisicos, Physicos, Astronomos faceret, sed ut viros probos, & sanctos faceret, & ad Beatitudinem perduceret.* Oh impiam hominis pietatem, qui dum piè loqui videtur, cum impiis loquitur! Non te pudet veterem hæreticorum cantilenam nobis occinere? Hæ ipsæ illorum sunt voces, qui terræ motum circa Solem immotum contra literalem Scripturæ sensum, contra Ecclesiæ declarationem tuentur. Hoc illi pro se afferunt, hoc nobis obijciunt: Augustinum huc invitum trahunt, cujus verba hæc sunt: *Non legimus in Evangelio Dominum dixisse. = Mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu Solis, & Lunæ; Christianos enim facere volebat, non Mathematicos. =* (a) Quæ Sancti Doctoris sententia sanè verissima, quàm abs re afferatur, postea dicam. Modò hoc unum contendo, te eâdem navi cum hæreticis esse; eodem, quo illi,

K ii

argu-

---

[a] August lib de Actis contra Felicem Manich.

argumento uti, idemque propositum urgere; videlicet Philosophorum placita nec ex Scripturis probari, nec ex ipsis improbari debere; eò quòd ipsæ non eo fine sint nobis traditæ, ut humanas disciplinas, sed ut scientiam sanctorum nos doceant. Nonnè hoc est, quod hæretici volunt? Nonnè hoc ipsum est, quod ipse vis? Vis, ut sacra Scriptura te virum probum, sanctumque efficiat, & ad Beatitudinem perducatur; sed, cum ad Beatitudinem perducere velis, eadem, qua hæretici, viâ graderis. Vis cum Catholicis vivere, & cum hæreticis philosophari. Atque, ut temeritati tuæ habenas laxare possis, liberèque, ac impunè contra Scripturam, ac Fidem philosopharis, negas Scripturæ, ac Fidei cum Philosophia quidquam esse.

Quod si ita est: quorsum nobis edicit Augustinus? (b) *Respondendum hominibus, qui calumniari libris nostræ salutis affectant, ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris literis, id est, fidei Catholicæ, contrarium protulerint, aut aliquâ etiam facultate ostendamus, aut nullâ dubitatione credamus esse falsissimum. Quorsum aurea illa Chrysostomi sententia? Quemadmodum, qui luminis hujus usuræ sunt privati, nequaquam recta ingredi possunt: ita, qui ad Divinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, necessario in multa frequenter errata incurrunt, perinde ut si in tenebris periculosis ambulant.* (c) *Quam sententiam etiam in Philosophia veram esse, Catholici Philosophi suo judicio, suis impii erroribus comprobant. Quorsum illud Doctoris Angelici documentum? (d) Siquid in dictis Philosophorum inveniatur contrarium Fidei, hoc non est Philosophia, sed magis Philosophiæ defectus.*

(b) Lib. 1. c. 21. in genesm. (c) Proœmio in epist. ad Romanos.  
 [d] Opusc. 70. in Boetium de Trinit. q. 1. art. 3.



*Aus. Quorsum illa D. Th. Villanov. comploratio ! (e) Qui Fidei certo lumine ad Christum dirigimur, experimento sepe didicimus, ut, qui nimium cupit esse philosophus, facile desinat esse Christianus. Quorsum decretum illud Lateran. Conc. sub Leone X. Sess. VIII? Insuper omnibus, & singulis philosophis in Universitatibus studiorum generalium, & alibi publice legentibus districtè præcipimus, ut, cum philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta Fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explicaverint (quale hoc est de animæ mortalitate, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia hujusmodi) teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo, pro posse, docere, ac omni studio hujusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia extant, excludere, atque resolvere. Quorsum ipse tuam scripta, atque adeo tuam philosophiam Ecclesiæ censuræ vis esse subjectam, ut in præfatione ad Apparatum profiteris? Si Deus circa Philosophiam nihil docet: nihil de Philosophis pronuntiare potest Ecclesia. Cur ergo illius judicio te subjicis, à quo ipse te eximis? Si nescis: eadem ratione, qua nihil Scripturæ cum Philosophia est, nihil etiam Ecclesiæ cum illa esse debet: utraque enim non humanæ Philosophiæ, sed Fidei divinæ, ac morum magistra est: utriusque oracula eò spectant, non ut homines reddant Philosophos, sed ut sanctos. Age: impietatem tuam, audaciamque corrobora, & palam dic, nullum Ecclesiæ in Philosophiam jus esse, nec ejus definitiones circa res naturales; puta illas, quæ Later. Concil. c. VIII. continentur; momenti quidquam habere: sin minus, inter reliquas doctrinæ tuæ inconsequentias hæc etiam numerabo; quòd scilicet Ecclesiæ judicio philosophiam tuam subjicias, ac simul Scripturæ, Fideique oracula à Philosophia submoveas.*

Atenim

[e] Concione de Epiphan:

Atenim *Scriptura sacra data homini fuit; non ut nos Logicos, Methaphisicos, Physicos, Astronomos faceret, sed ut viros probos, & Sanctos faceret.* Assentior: sed etiam illa data nobis non est, ut nos *Historicos, Genealogicos, Geographicos, Chronologicos* redderet: & tamen multa tradit circa *Chronologiam*; cum init annorum supputationem: multa circa *Geographiam*; cum regiones, civitatesque describit: multa circa *Genealogiam*; cum familiarum generationes textit: multa circa *Historiam*, non solum *sacram*, sed *profanam*, puta *Alexandri*, ac *Romanorum.* (f) Quæ omnia non sunt per se aliquid, aut ad *Religionem* sacratius, aut ad *Fidem* certius, aut ad *salutem* utilius, quàm *Veritates philosophicæ.* Cum tamen à *Deo* tradantur, fide certa sunt, nec sine errore dici potest, v. g. *Samielem non fuisse filium Helcane; ex hoc enim sequitur Scripturam Divinam esse falsam circa hujusmodi.* (g) Idem ergò in re nostrâ dicendum. Neque enim *Scriptura* minus expresse loquitur de rebus naturalibus, putà *homine*, ac *belluis*, *Cœlis*, ac *Planetis* ad *Philosophiam* spectantibus, quàm de *generatione Samuelis*, aut de rebus *bellicis* ad *historiam profanam* attinentibus.

Pergis: *Sane, si divini libri aliquid diserte, & explicate, & expressis verbis de talibus scientiis traderent, dubium non est, Scripturæ Sententiam multis nominibus cæteris fore præferendam.* Diminutè: ut enim *sententiam* aliquam cæteris præferamus, necesse non est, ut in *Scriptura* expresse tradatur, sed satis est, si ex iis *evidenter* eruatur, quæ ibi expresse traduntur. Sed quamvis *diminutè*, ad rem nostram satis. Nam per te, si *Sacræ literæ* aliquid *explicate* traderent circa *humanas scientias*, id omnino esset *tenendum*, ut tu ais, multis nominibus; ut  
ego,

(f) Lib. 1. Machab. c. 1. & 8. [g] Ita D. Thom. 1. p. q. 37. artic. 4.



ego, hoc solo nomine, quò Deus id diceret: subsumo: atqui Sacræ literæ multa hujusmodi explicatissimè tradunt; ergò multa hujusmodi à nobis tenenda, quia in Sacris literis traduntur. Sola minor eget probatione, & ne hæc quidem eget; nam vel primum Scripturæ, ac Genesis caput eam evidenter demonstrat. Lege ipsum, & nega, si potes, ibi disertè, & explicatè tradi, Mundum à Deo existentiam accepisse in tempore: ligna pomifera fructum facere, & habere unumquodque sementem in semetipso secundum speciem suam: piscibus, volucris, bestiis inesse animam viventem: hominem ad Dei similitudinem, atque imaginem factum: cuncta, quæ Deus fecit, bona esse, &c. Quæ omnia sunt veritates per se naturales, caduntque sub Philosophiæ considerationem.

„ Cùm verò, *inquit*, Patrum testimonio  
 „ habeamus scripturam Sacram esse epistolam Dei  
 „ ad homines missam per manus Prophetarum, &  
 „ Apostolorum, quò illi ea nota faciat, quæ ad  
 „ beatum aspectum hominem perducant, sit confe-  
 „ quens, male facere eos, qui Philosophorum sys-  
 „ temata Scripturæ verbis, quasi sepimento aliquo,  
 „ vallare contendunt. Quamobrem nobiliores senten-  
 „ tias, atque alium, longe-que differentem intel-  
 „ lectum in sacris libris quærere debemus. „ Oh mi-  
 „ serum te, qui Patrum autoritate non uteris, nisi  
 „ ut eâ abutaris; qui pro eo, ac credas, quæ Deum  
 „ docuisse constat, negas Deum docuisse, quæ ipse  
 „ non credis, ut Novatoribus fidem habeas. Quando  
 „ verba Scripturæ naturale aliquid præse ferunt,  
 „ nonne satius est credere providentissimè dictum,  
 „ quod à Deo dici constat; quam id dictum ne-  
 „ gare, quia dici non debuit? Quisnam tu es, ut  
 „ Deo præscribas, quid ipsum nobis manifestare oporteat?  
 „ Anne vis divinæ Sapientiæ fontem obstruere,  
 „ nequa ex illo veritas non ita ad salutem neces-  
 „ saria

faria ad nos derivetur , & quodammodo redundet?

Cur Dei liberalitatem coarctas? Cur largissimum bonorum omnium dispensatorem Veritatis solius parcum esse vis; ut cum aliis vitæ præsidis nos abundè instruxerit, Veri notitiam parcissimè nobis impertiverit; nempe illam omnino, sine qua Beati esse non possumus? Distingue, quæso, utilitatem à necessitate, & facillè agnosces, veritatum omnium, quæ in sacris libris leguntur, notitiam nobis esse utilem; non omnium necessariam: neque enim ad salutem opus est, Scripturam omnem probe scitam, comprehensam-que habere. Quòd si, ut Deus aliquam nobis veritatem proponat fide credendam, fatis est, eam nobis esse utilem ad finem supernaturalem; immeritò veritates philosophicæ à Sacris literis, tanquam profanæ, submoventur; cum ipsæ utiles sint, ut Deum melius, vel directè, & in se, vel indirectè, & ex creaturis cognoscamus, atque adeò, ut ipsum diligamus.

Quid, quòd aliquæ sunt veritates naturales, quarum notitia non utilis modò, sed necessaria est ad salutem; nempe existentia, atque Unitas Dei, libertas, atque immortalitas animæ, &c; quæ nemo Catholicus ad doctrinam Fidèi, nemo philosophus ad Philosophiæ considerationem pertinere negat. Cùm igitur hujusmodi veritates ab Scriptura, ac Philosophia doceantur; nonnè falsum est, quòd Scriptura circa Philosophiam nihil docet? Jam verò, cùm Fides divina sit longe certior, quàm ratio humana, cùm hæc sibi relicta à Fide, atque adeo à veritate, nonnunquam deviet in iis, de quibus loquitur Scriptura, ac Philosophia, nec non in aliis, quibuscum hæc connexa, atque implicata sunt, nonne æquissimum est, ut Scriptura sit Philosophiæ regula, ac magistra, ut hæc illam consulat, illa hanc instruat, ac dirigat; ut hujus placita illius definitionibus,



tionibus, hujus argumenta illius Oraculis aut corrigantur, aut comprobentur? Qui religiosam hanc philosophandi rationem damnat, ac Fidei doctrinam à Philosophia arcendam putat, nonnè Philosophiam ipsam exlegem, impiam, atque hæreticam esse vult? Atqui hoc est, quod ipse vis; aut certè, quod sententia tua sibi vult. Stylum igitur verte, & propositionem, uti à te effertur, erroneam, atque impiam, aut tempera, aut retracta: sin minus, is apud nos audire perges, qui jam audis.

## DIVERSORUM FURFURUM,

ATQUE ABSURDITATUM MISCELLA.

**V**ERNEIANÆ Logicæ insulstatem sola absurditatum varietas condit. Ex tantum, quæ attinent ad generales rerum notiones, tantæ, ac sædæ sunt, ut omnes expendere longum esset. Dabo paucas pro multis, quæ multarum instar sint.

*Notio corporis, & spiritus.*

**E**XPLICATURUS Verneius, quid sit corpus, ac spiritus, superbissimo aliorum fastidio præmittit, paucos admodum esse; & in paucis, opinor, ipsum; qui rem expenderint, & sine ullo præjudicio examinârint. Ecquis ex hoc aditu accuratissimam utriusque definitionem non speret? Omnium, quas unquam legerim, vitiosissima est. *Spiritus*, inquit, (h) est id, quod in homine est, & cor-

L

pus

(h) Lib. . . c. . . p. 41.

*pus non est, nec ab ullo videtur, sentitur tamen esse ex rebus, quas efficit, quæ multæ sunt, ac conspicuæ. Quantus Philosophus sit Verneius, si nondum nosti, ex præclara hac definitione nosse potes. Definiendum sibi proponit, quid sit spiritus, aliorum injuriâ doctrinam suam commendat, & præjudiciis procul habitis, methaphisicis valete iussis, rem expendit, ac definit. Et quid tandem affert? Eam spiritûs definitionem, quæ neque in Deum, neque in Angelos quadrat, sed in solum hominis spiritum. In solum, inquam, hominis spiritum? Dictum jam revoco: nam illa spiritûs definitio convenit calori, ac frigori, dolori, ac feбри; hæc enim in homine est, & corpus non est, nec ab ullo videtur, sentitur tamen esse ex rebus, quas efficit, quæ multæ sunt, & conspicuæ.*

In corporis definitione longè felicior fuit: primus quippè omnium duas ejusdem corporis notiones invenit, alteram juxta puerorum opinionem, alteram juxta sensum aliorum, Lusitanorum, opinor, adolescentium, quorum gratiâ laborat. Vide, quàm Verneio sicut cordi teneræ nostrarum mentes, & quàm impensè earum institutiouem curet. Nostrorum adolescentium usui Logicam edit: Nostrorum puerorum opinioni rerum notiones accomodat: Nostris infantibus nutrices optat Dialecticâ imbutas, (i) quæ ipsis cum lacte præcipua Logices decreta instillent: Nostris fortasse embryonibus materno in utero aliquod Logicæ rudimentum meditatur. Miraris hominis industriam? Illius ipeptiam mirare. Igitur, inquit, *id vocamus corpus, quod tres habet dimensiones, longitudinem, latitudinem, profunditatem, & insuper introductioni alterius corporis, seu penetrationi undique repugnat.* En primam corporis notionem accommodatam, ut ipse putat, Lusitanis adolescentibus; ut ego censeo, Anglis, atque Hollandis:

---

[i] In præfatione ad Logic. Adolescentes.



landis: nam cum illa statuatur corpus in actuali extensione trinè mensurabili, non est iis accommodata, qui in Sacra Eucharistia agnoscunt corpus sine extensione, & extensionem sine corpore: corpus sine extensione in Christo Domino definitivè existente sub singulis partibus specierum: extensionem sine corpore in speciebus ipsis, quæ non sunt corpus, sive substantia corporea, perinde tamen sunt extensæ post consecrationem, ac panis, & vinum ante illam.

Venio ad alteram corporis definitionem. Aliter, inquit, & ad puerorum opinionem accommodatius. Mirum hominis fastidium, miram dignationem! Methaphisicorum sententiam parvi pendit: quid superbius? Puerorum opinioni se accommodat: quid facilius? *Corpus*, ait, *est, quod in homine videtur, quod colorem habet, & molem, vel caro, vel os, vel capillus, vel unguis, vel aliud sit. Quidquid ergo & videri, & tangi potest, est corpus.* En definitionem puerorum opinioni accommodatam, quam si per risum liceat, expendere. *Corpus est definitum: quod in homine videtur, est definitio: in homine, inquit, si extra hominem videatur, corpus non erit. Addit quod colorem habet, & molem: si molem habeat sine colore, ut aer, non erit corpus juxta puerorum, ac Verneii opinionem. Proinde, cum juxtatissimum nullum corpus habeat colorem, (1) nullum corpus est corpus. Pulcherrima illa partium enumeratio, vel caro, vel os, vel capillus, vel unguis, vel aliud sit, quædam Rhetoricæ bullula est, quam nostris pueris offert. Sed diu nos ridere non patitur ineptæ explicationis absurda conclusio: *Quidquid ergo, inquit, & videri, & tangi potest, est corpus.* Ex quo inferre licet, Species Eucharisticas, quas videri, ac tangi constat, Verneii sententiâ esse corpus, id est, substantiam corpoream.*

(1) In Præfatione ad Lustranos Adolefcentes lib. 4. p. 194.

*Idéa relationis.*

**S**I Verneium audimus, quæ vulgares Philosophi de relatione edisserunt, sunt mera verba, relatio verò ipsa est mera vox. Sic enim habet: (m) *Relatio non est aliqua res, quæ creetur, & in objecto sit, sed est appellatio, quæ alicui rei tribui potest, si modò adsit causa in ipsa re.* Et infra: *Proinde nulla res est, quæ nobis non det occasionem, cur plurimis vocabulis relativis, seu relationibus adficiatur.* Ubi, ut vides, vocabulum relativum, & relatio idem Verneio sunt. Hanc ego fatuitatem impugnatione non dignor: nonnullis tamen interrogationibus eam excutiam. Primum igitur quæro ex te, Vernei: qui fieri possit, ut nomen *Pater* v. g. sit relativum, quin res, per illud significata, sit relatio à nomine ipso distincta? Certè conceptus correspondens huic voci *Pater* habet relationem pro objecto, uti ipse concedis: (n) ergò vox eam habet pro significato; cùm idem sit. significatum hujus vocis, ac objectum illius conceptus. Quæro deinde: an Patrem esse Patrem, Filium esse Filium, creaturam esse creaturam, relationes sint? Si ais: ergò relationes non sunt vocabula; neque enim, quod *Pater* sit *Pater*, idest, Filium genuerit; quòd creatura sit creatura, idest, à Deo per se, essentialiterque dependeat; consistit in vocibus. Si negas: ergò idéa Patris, ut Patris, aut creaturæ, ut creaturæ, non est idéa relationis, contra quam ipse statuis. Quæro ultimo: an relationes etiam in *Divinis* meræ sint voces? Si affirmas: nihil dico amplius, quàm te perinde Catholicum, ac Philosophum esse. Si negas: explicandum tibi erit, cur relatio Patris consistat in *Divinis* in generatione Filii, non item in creatis. Cum hæc mihi complanaveris, tibi forte subscribam. Interim tibi animadverto, ut si Philosophis ludibrio esse

---

[m] Lib. 2. c. 11. pag. 86. [n] Ibidem.



esse non vis, distinguas hæc duo, nomen, & denominationem; nam, uti video, quia Philosophi dicunt, relationes esse denominationes respectivas, dictum putasti, eas esse nomina relativa.

*In quo consistat sensatio?*

**D**UPLEX Verneio sensatio est, altera materialis, spiritualis altera: prima in affectione cerebri sita est: secunda in spirituali perceptione hujusce affectionis: (o) nam *animus quidquid sensuum ope percipitur, sentit ipse, id est, sentiendo intelligit.* (p) Utrumque absurde: sensatio enim neque ita imperfecta est, ut in cerebri affectione; neque ita perfecta, ut in spirituali cognitione mentis possit consistere. Duo importat sensatio; esse perceptionem, & esse materialem: affectio cerebri est materialis, sed non est perceptio: mentis cognitio est perceptio, sed non est materialis: igitur neque illa affectio, neque hæc cognitio sensatio est. Utraque pars seorsim, ac cursim probanda.

Sensatio est perceptio; affectio cerebri non est perceptio: ergo affectio cerebri non est sensatio. Sensatio est perceptio, quia sentiri est sensu percipi. Affectio cerebri non est perceptio, siquidem nec est perceptio ipsius affectionis; aliter esset reflexa perceptio sui: nec est perceptio objecti, quod eam affectionem, ac impressionem facit: cum enim cerebrum non sentiat affectionem illam, quam patitur, sentire nequit objectum, quod eam agit. Sive igitur cerebrum suam sentiat affectionem, sive non sentiat, nunquam illa erit sensatio. Nam, si cerebrum eam sentit, ipsa non est sensatio, sed objectum, quod sentitur. Si vero cerebrum illam non sentit, nihil sentit, cum non sentiat, quod patitur: proinde affectio, quam patitur, non est sensatio.

Velle

[o] Lib. 2. c. 2. pag. 48. [p] Cap. 1. pag. 42.

Velle autem, ut cerebrum non sentiat impressionem, sed objectum, idest, causam impressionis intensibilis, non impugnationem meretur, sed risum. Mitto, quòd sentire est vivere, cerebrum autem per eam affectionem non vivit, quia eam non agit, sed velut inanime quoddam merè passivè circa illam se habet; ut in simili loquitur Trident. (q) Mitto etiam, quòd imago objecti expressa in oculo juxta Verneium non est visio: (r) ex quo consequitur, similem imaginem impressam cerebro non esse perceptionem; neque enim hæc cerebri imago est magis perfecta, aut minus ab extrinseco, aut alterius naturæ, ac rationis, quàm illa oculi, à qua originem ducit.

Hæc, inquam, aliaque omitto, quia dudum me vocat sensatio illa immaterialis, qua Verneii mens intelligendo sentit, & sentiendo intelligit. Vide, quantum inter Verneium, & reliquum hominum vulgus intersit. Nos intelligimus, quod sentimus: Verneius sentiendo intelligit. Apud nos, sicut intellectio nequit esse corporea, ita sensatio nequit esse spiritalis: in illo sensationes sunt spirituales, intellectiones videntur materiales. In nobis, nec anima sinè corpore, nec corpus sinè animâ sentit: in Verneio sentit materialiter cerebrum ante opus animæ, sentit immaterialiter anima sinè ope cerebri. Proinde, nostra anima anima est, ac forma corporis: quippè quæ illud complet, & ab ipso completur ad operationes sensitivas, quarum anima est principium activum, corpus passivum: Verneii verò mens est spiritus merè assistens, qui non conspirat cum corpore ad operationem aliquam utriusque communem; cum ipse non agat sensationem: quam corpus patitur, nec corpus patitur sensationem, quam ipse agit. Si ille sentit, etiam Deus, atque

Ange-

---

(q) Scilicet 6. cant. 4. (r) Pag. 45. & 60. ubi docet, animam non videre, nec sentire, nisi in cerebro.



Angelus sentit : nam illum sentire nihil est aliud, quàm intelligere materialem affectionem cerebri sibi intimè præsentis, factam ab objecto sensibili, quam certè intelligit Deus, atque Angelus cum hominis cerebro compenetratus.

Quid plura? Quòd sentiamus, commune est nobis cum belluis : quòd intelligamus, cum Angelis. Si ergò idem sit intellectus, ac sensus, idem intelligere, ac sentire, eadem intellectio, ac sensatio, idem illud erit, in quo Angelis supparet, & in quo belluis pares sumus; quo quid absurdius? *Aliud ergò sensus ut cum M. Augustino loquar, (s) aliud scientia : non autem sentimus ratione, sed aut visu, aut auditu, aut olfatu, aut gustu, aut tactu . . . .*

„ Quanquam sit aliud sensus, aliud scientia, illud  
 „ tamen non latere, utrisque commune est, ut  
 „ ipsi homini, & bestix, quanvis plurimum disse-  
 „ rant, animal tamen esse commune est; non latet  
 „ enim, quidquid animæ apparet, sive per temperan-  
 „ tiam corporis, sive per intelligentiæ puritatem :  
 „ atque illud primum sensus; hoc autem alterum  
 „ scientia sibi vendicavit. Concludit, *non continuo*  
 „ *esse & scientiam*; siquid non latet, sed si per  
 „ rationem non latet; *cum autem per corpus non la-*  
 „ *tet, sensum vocari.* „ Hæc Augustinus, quem potius audire, quam Novatores, debemus.

### *Notio judicii intuitivi.*

**N**Æ tu, Vernei, in limine offendis, & antequam quidquam dicas, jam erras : prius enim, quàm statuas, quid sit judicium intuitivum, supponis, nullum actum esse intuitivum nisi judicium. Nam, si agnosceres cognitionem intuitivam esse genus ad apprehensionem, & judicium, eam in genere explicares : intellectâ enim ratione intuitivi, ut sic,  
 qui

[8] De quancit. Animæ c. 29.

qui novit, quid sit iudicium, novit etiam, quid sit iudicium intuitivum. Multo minus eam illius notionem daret, juxta quam ratio intuitivi propria est iudicii evidentis. *Judicia*, inquis, (t) *quæ per experientiam comparantur, idest, ex singularibus notionibus ducuntur, vocantur intuitiva, nimirum cum tribuimus enti ea, quæ in ejus notione complexa evidenter continentur. Quæ vero ex intuitivis per argumentationem ducuntur, appellantur discursiva.* E. g: *notio caloris perspicuè continetur in notione ignis; proinde hoc iudicium: ignis est calidus: est intuitivum, &c.*

Oh te beatum, Vernei, si tua doctrina verum habet! Ecce? Rogas: Quia Dei intuitione jam frueris. Negas, & præcocem hanc Beatitudinem recusas? Frustra illam abnuis; velis, nolis, beatus es. Nam, si hoc iudicium: *ignis est calidus: est intuitivum; quia calor perspicuè continetur in notione ignis; intuitiva erunt etiam hæc: Deus est à se: Deus est perfectissimus, immortalis, immensus, &c;* nam omnia hujusmodi prædicata perspicuè continentur in notione Dei, & evidenter de ipso demonstrantur. Tu igitur, qui his iudiciis non cares, & fateri debes, ea esse intuitiva, tuâ sententiâ Deum vides, adeoque beatus es.

Sed, cum Deum jam videas, quid dicas, non vides: quam multa enim in brevissimâ illâ explanatione peccas? *Judicia*, ais, *quæ per experientiam comparantur, idest, ex singularibus notionibus ducuntur.* Idest? Est ne idem ex singularibus notionibus duci, ac per experientiam comparari? Ex singularissima notione Dei nonnè multa deducuntur, quin per experientiam comparentur? Ex notionibus singularibus nonnè deducuntur universales, quæ non cadunt sub experientiam?

Pergis *Quæ vero ex intuitivis per argumentationem ducuntur, appellantur discursiva.* Certius hoc,

---

[t] Lib. 4 c. 7. pag. 225.



hoc , quàm ut negari possit ; manifestius , quàm ut dici debuerit. Sed quid deinde ? Num propterea , quòd discursiva sint , intuitiva non erunt ? Falsum id in tuâ sententiâ ; licet apud omnes , & apud te ipsum verum , ac certum habeatur. Etenim discursus potest *tribuere enti ea , quæ in ejus notione complexa evidenter continentur* , ut patet in hoc discursu :  $\square$  *Omne totum est maius sua parte ; domus est totum , janua est pars : ergò domus est maior janua.*  $\square$  En discursum ; sive , ut tu loqui amas , iudicium discursivum ; qui tibi intuitivus esse debet , siquidem illi convenit notio iudicii intuitivi à te constituta. Viden tot fere errores tibi excidere , quot verba ? Jam ergò dictum retracto , & qui te beatum dixi , miserum appello , & bis quidem miserum , quia nec loqui , nec tacere didicisti.

## ALOYSII ANTONII VERNEII ;

Aburdiora Novatorum placita adoptantis ,  
objurgatio.

**J**AM ne vides , Vernei , jam ne sentis , Logicam tuam non Logicam , sed errorum , atque absurditatum farraginem esse ? Parum tibi fuit pro regulis Logicis errores contra Logicam constituere , nisi tam multas absurditates ex minùs sanâ Philosophia accersitas , & quasi deditâ operâ corrogatas , in eam congereres ? Si tibi propositum esset inopinabilia Novatorum opinamenta compilare , eaque in lucem edere ad Novatorum dédecus , ad novitatis invidiam , ad spécimen absurditatis ; is tibi habendus esset opinionum delectus , quem habuisti : eæ sententiæ feligendæ erant , tamquam improbabi-

M

les,

les, quas tu probas, tanquam lectissimas; videlicet, quòd solum caput sit animæ sedes: quòd non oculis videamus, neque auribus audiamus, sed cerebro: quòd cognitio sensitiva sit immaterialis: quòd calor, frigus, aliæque affectiones sensibiles, sint actus animæ, non corporis qualitates: quòd mens cogitationes suas non agat: quòd Species Eucharisticæ non sint accidentia panis, & vini, physicè distincta, ac separata ab omni substantia: quam ego absurditatem à te obiter insinuatam (u) impugnandam non censui, quia paucis impugnari non potest, & ab aliis copiosè impugnatur.

Hæc tu opinionum portenta collegisti: hos abortivos Philosophiæ factus adoptasti *assiduo excerpenti usu ex libris*, quos legeras: (x) colluuiem hanc absurdarum novitatum ex hæreticorum, ac Novatorum cæno corrogasti, & errorum plaustra tuam in Logicam congestisti, ut eam hoc fimo respersam fecundares. Recentiores Philosophi, quòd novitati studerent, multa absurdè docuerunt: quòd ingenio præstarent, multa præclare excogitarunt; neque enim hanc iis laudem invideo: sed tu ex eorum messe lolium potissimùm colligis, frugem relinquis. Quamobrem non injuriâ apud Lusitanos audis errorum compilerator, librorum converritor, absurditatum spongia, Philosophiæ scarabæus, qui putidioribus, & malè olentibus sententiis delectaris: apud me autem doctrinæ cribrum, quòd simillam transmittis, furfures colligis. Alienæ doctrinæ tu cribrum, ut ego tuæ; quos enim furfures ego ex te colligo, ut tu aliis, tibi que displiceas, eos tu, quòd tibi placuerint, atque ut aliis placeres, *assiduo excerpenti usu ex libris, quos legeras*, collegisti.

Hoc unum in tantâ absurditate percommo-  
dum accidit, quòd neminem fallis, nisi te ipsum;  
quod

[u] Pag. 300. (x) Verba hæc sunt in *Epist. dedicat. Apparac.*



quòd alienam crambem cùm recoquis , illi insulsitatem ex tuo addis ; & improbabilia cùm probas , improbabiliora reddis , ut in loco adnotavi. Nihil itaque sanior Philosophia , cujus es hostis , à te sibi timet ; neque enim periculum est , ut placita tua aliis placeant , sectatoresque invéniant. Si tuæ illæ , quas attuli , absurditates , ut ne aliis placérent , voluisses , non eæ à te possent aut ineptius proponi , aut inefficaciùs probari , aut manifestius cum aliis assertionibus collidi. Vereor itaque , necui prævaricator videáris , qui Novatorum causam fictè defendas , re autem eam prodas. Nam , ut omittam , quòd sæpe assertionibus tuis nullam adhibes probationem : ut præteream , quòd plerumque destruis , quæ adstruis , & quæ hic ais , alibi negas : ut taceam , quòd nunquam fere oppositæ sententiæ argumenta proponis , ac diluis ; prout opus erat , ut adolescentes tuis placitis stare , eaque propugnare possent : ut hæc omnia prætermittam , ea est ingenii tui infelicitas , ut , quæ probas , probationum absurditate dissuadeas : quæ improbas , argumentorum inanitate commendes : ut , inquam , eam partem labefactes , quam malè materiato fundamento superstruis , eam prodas causam , cui ineptè patrocinaris : illi sententiæ probabilitatem detrahas , quam malè probas. Quod nequis à me exaggeratiùs , quam veriùs , dici putet , legat apud te sententiam illam facilè veram , ac certam , *idéas nostras non esse nobis innatas* ; ac mecum dolebit , quòd ejus defensionem susceperis : illam quippè miserè habitam , ineptiis refertam , insufficienter probatam , improbabilem planè , ut à te quidem proponitur , reddidisti.

Ex quo intelligis , Vernei , non eam te mentem nactum esse , ut Philosophi nomen , & scriptoris personam cum dignitate tueáris. Non ea tibi memoria , illud ingenium , ac iudicium obtigerunt , ut Philosophiam possis , non dico tradere , ac

docere, sed capeffere, ac discere. Memoria tibi tam fluxa, ut identidem oblitus tui ea statim evertas, quæ paulò ante constitúeras. Ingenium ita infelix, ut illius sterilitatem alienorum fætuum, seu potiùs abortuum, adoptione redimas; nihil ex tuo afferas, sed ex libris, quos legis, (quos autem legis, nisi hæreticorum?) eos excerpas, quos scribis, uti ipse non obscure innuis. Et ne his quidem errorum centonibus consuendis par unus es, sed malè litteratum de trivio *rabulam* in laboris, atque invidiæ partem advocas. Jam verò iudicium tuum ita pravum, ac distórtum, ita præposterum, atque absurdum est, ut, quæ à communi hominum sensu quàm maximè abhorrent, ea tibi consentanea, ac verisimilia, ea vera, ac certa videantur; nisi fatius sit credere, nec ipsimet tibi explorata, ac vera esse, quæ tradis. Non tu veritatem quæris, sed novitatem aucuparis: nec cogitas, quid dicas, modò contra Scholasticos loquaris. Grata, idest, nova, admirabilia, idest, paradoxa, sectàris: vera, an falsa, hærentia, an pugnancia, periculosa, an tuta, pia, an impia, id pensi non habes. Adde inconstantiam doctrinæ, quam luxati iudicii argumentum, ac notam esse constat. Adde audaciam, quâ aliena reprehendis, temeritatem, quâ tua profers, ignarus sæpe quid proferas, quod ipse negare nequis, quin Logicam tuam tuam esse neges.

Si ergò te nosti, omitte, quæso, in Philosophia operam perdere: aliam illa doctrinæ soliditatem, alium opinionum delectum, aliam stili acurationem poscit, quibus tu destitúeris. Proinde Logicam aliis relinque, Criticem tuam cole: (tuam cum dico, maledicam, atque audacem dico) in arte rectè cogitandi nullus es: in arte maledicendi omnino magnus. Si tamen Philosophiam pergis tuis studiis, ac scriptis vexare, eundem, quem hæctenus, absurdarum opinionum delectum habere perge: illæ  
iudicio,



judicio, atque ingenio tuo congruunt; eas tu pro dignitate pertractas, absurdas absurdè. Hac una ratione Philosophiæ utilis esse potes; tum enim Philosophiam ab erroribus repurgabis, cum eos in operis tui pseudophilosophici corpus collegeris.

*Pro Operis coronide Verneii coronamentum.*

**C**UM nos Verneius instituendos susceperit, & communis Magistri Lauream modestissimè affectaverit, quando illam non obtinet, alià à nobis corollâ honestandus videtur. Illam ego ex doctrinæ suæ floribus conferam, & quidem novis, ac recentibus; neque enim eos afferam, quos jam attigi, & quodammodo contrectavi. Adhuc tamen fertum putidum erit, florilegiumque hirsutum, utpote lectum ex Verneii areolis, in quibus insequentiæ, & contradictiones, ineptiæ, & fatuitates pro floribus sunt.

## FLORILEGIUM INCONSEQUENTIARUM, ET CONTRADICTORUM.

I. **I**DEA vel est simplex, vel composita.  
Lib. 2. c. 9. pag. 74.

Non omnes ergò ideæ sunt simplices?

*Ideæ, quæ per sensus habentur, sunt simplices, ut coloris rubri . . . . idem de reliquis sensibus est dicendum. Non enim in odore, non in dolore, non in reliquis affectionibus, partes ulla designare poteris: ea propter sunt simplices. Idem de ideis iudicatote, quæ meditatione adquiruntur; ut volitio, nolitio, perceptio, cætera. Quis enim dimidium volitionis, aut nolitiois, aut iudicii potuit unquam designare? Eodem Cap. pag. 75.*

„ Om-

„ Omnes ergò idéæ sunt simplices : siquidem  
 „ simplices sunt , quæ per sensus habentur , simpli-  
 „ ces etiam , quæ meditatione acquiruntur : omnes  
 „ autem aut meditatione acquiruntur , aut per sen-  
 „ sus habentur. Pag. 58. Et quidem si perceptio , si  
 „ dolor , si reliquæ affectiones sensuum sunt sim-  
 „ plices , manifestum est , nullam idéam esse com-  
 „ positam. „

II. „ *Idéæ corporis , exercitûs , domûs ,  
 sunt compositæ. „*

*Idéæ , quæ per sensus habentur , sunt simpli-  
 ces. Utrûmque ibid.*

Quasi verò idéæ corporis , exercitûs , do-  
 mûs , non habeantur per sensus.

III. *Idéa cujusque corporis est composita ; pos-  
 sum enim in corpore designare partem dexteram ,  
 & sinistram : & quælibet pars menti meæ se offert ,  
 eamque sigillatim considerare possim. Pag. 75.*

„ *Idéa extensionis est simplex. „* Pag. 118.  
 §. III.

Nonne in extensione , uti in corpore , de-  
 signare possum partem dexteram , & sinistram ? Non-  
 ne corpus apud Verneium consistit in extensione ?

IV. *Judicium est omnino indivisibile : nec enim  
 intelligi potest , quid sit dimidium , aut tertia pars  
 judicii. Ibidem.*

Idéa composita esse potest ex multis simpli-  
 cibus , & talis apud Verneium est idéa exercitûs ,  
 aut domûs. *Neque enim , inquit , possum percipere do-  
 mum , quin percipiam rem quadratam ( discite obiter ,  
 domum rotundam esse non posse ) in qua & portæ ,  
 & fenestræ , & laquearia.*

Inconsequentia est manifesta : tam enim  
 intelligi potest , aut tam non potest dimidium ,  
 aut tertia pars judicii , quam dimidium , aut tertia  
 pars apprehensionis , sive idéæ. Nec est , cur idéa  
 domûs contineat plures idéas , aliam portæ , aliam

fenes-



fenestræ , aliam laquearium ; iudicium autem de existentia domûs non contineat totidem iudicia , aliud de existentia portæ , aliud de existentia fenestræ , aliud de existentia laquearium.

V. *Judicium non consistit in idæa prædicati , aut subjecti , sed in nuda cognitione nexus.* Pag. 134.

„ Propositio vocalis , quæ respondet iudicio , non consistit tantum in verbo *est* , quod nexum significat ; sed prædicato , ac subjecto , tanquam partibus constat. „ Pag. 135.

VI. *Ratiocinatio constat tribus idæis.* Pag. 161. Coroll. I.

„ Iudicium non constat duabus , aliâ subjecti , aliâ prædicati „ Pag. 134. supra cit.

VII. *Substantia ab aliis rebus nequit se jungi.* Pag. 83.

*Ex proprietatibus , quas novimus , res alias ab aliis se jungere possumus.* Pag. 84.

Rerum nomine intelligit eo loco substantias , ut eum legenti evidentissime constabit.

VIII. *Non habemus idæam claram , & distinctam substantiæ , sed valde obscuram.* Pag. 82.

*Si dico = homo est vivens , quod loquitur , intelligit , ratiocinatur , & omnino libere operatur , = hæc idæa est distincta , & completa.* Pag. 80.

En idæam claram , ac distinctam substantiæ , nempè hominis.

IX. *Idæa substantiæ est valde obscura ; nam idææ , quas habemus , singularium substantiarum , sensu acquiruntur : at sensus attingunt tantum modos , qui substantiam ornant ; substantiæ verò naturam non item.* Pag. 83.

*Idæa substantiæ corporeæ est æquè clara , ac modi , ex quibus componitur.* Pag. 120.

X. *Idææ simplices sunt claræ , compositiæ verò obscuræ.* Pag. 116.

*Idææ*

*Idæe compositæ tales sunt, quales idæe simplices, ex quibus componuntur.* Pag. 119.

Addit = *quæ quidem idæe (simplices) plerunque sunt obscuræ, = cùm supra docuerit, eas esse claras.*

XI. *Vocabula, quæ affectiones animi, & sensum declarant, sunt obscura.* Lib. 2. c. 4. pag. 117.

„ *Idæa doloris, & vox dolor ita clara est, ut non indigeat definitione, nec per clariores voces explicari possit.* „ Eod. c. pag. 116.

*Vox dolor nonne animi, aut sensus affectionem significat?*

XII. *In omnibus linguis pæraque vocabula sunt universalialia, idque non casu, sed necessitate.* Pag. 105.

*Cavere debemus à vocibus indeterminatis.* Pag. 114.

Apud Verneium voces indeterminatæ, & vocabula universalialia idem sunt, ut observare est loco cit.

XIII. *Si substantiva interdum significant modos, ut albedo, prudentia, hoc ideo evenit, propterea, quia mente percipimus hujusmodi modos instar rei, & substantiæ, hoc est, sine relatione ad aliud.* Pag. 104.

„ *Hujusmodi nomina justitia, fortitudo, prudentia, inertia, reapse sunt relata.* „ Pag. 128.

*Si sunt relata, quomodo significant modos sine relatione ad aliud?*

XIV. „ *Vocabula abstracta, v. g. justitia, animalitas, designant tantùm idæas nostras.* „ L. 2. c. 5. p. 131.

*Vocabula abstracta significant passim apud Verneium id, quod sonant, justitia justitiam, albedo albedinem, & cæt.*

XV. „ *Omnia, quæ cognoscimus, sunt res, sive substantia, modi, relatio.* „ Pag. 82.

*Omnia,*



*Omnia, quæ percipimus, sunt res, vel mundus rei.* Pag. 104.

*Utra sunt igitur, quæ cognoscimus; duo tantum, quæ percipimus.*

*XVI. Lux componitur ex figura particularum corporis luminosi, ex motu earundem, ex repercussione ab objecto corpore, & cæt.* Pag. 122.

*Tamet si mente partes in colore rubro perquiras, nunquam invenies; non enim habet.* Pag. 75.

Lux ergo est modus compositus, color verò, qui lucem importat, & aliquid supra illam addit, (Pag. 194.) est modus simplex, ut Verneius statuit locis supra citatis.

*XVII. Nemo cogitat, se esse, se esse cogitantem, nisi, qui studiis contritus est, atque in ea etate, quæ meditationi est accommodata.* Pag. 57.

*Infans .. grandior jam factus .... cum non nihil jam judicat, ... habet quidem plurimas cognitiones certas, ut se esse.* Pag. 181.

*XVIII. Qui lectione tritus est; & meditando clariores cognitiones comparavit, certò scit, plurima ita se habere, ut videntur.* Pag. 181. Scit ergo plurima.

*Si pauca demas, nihil aliud facit vir doctus, quàm assentiri cum quadam dubitatione.* Ibidem. Pauca jam scit.

Doctior viro docto puellulus est, cum jam non nihil judicat: ille enim, si pauca demas, de omnibus dubitat: hic verò habet plures cognitiones certas; &, cum vix aliquid judicet, multa jam scit, immò plurima.

*XIX. Facultas intelligendi, & ratiocinandi, quæ animæ congenita est, est Logica naturalis.* Pag. 359.

*Facultas, quam habet mens, propositionem aliquam ex præmissis omnino certis deducendi, seu demonstrandi veritatem aliquam, & ipsa scientia, seu habitus scientificus, nuncupatur.* Pag. 239.

Sed quando habitus scientifici mentio incidit, moneo Verneium, ut aut menti denegat habitum scientificum, quem hic concedit; aut ipsi species concedat, quas negat pag. 64; non enim cohærent hæc duo, quod actus mentis producant habitum, & non relinquunt in mente sui speciem.

XX. *Nulla sensatio nisi in cerebro est.* Pag. 45. & 68.

*In papillis linguæ, tum etiam palati, sapor percipitur.* Pag.

Perceptio saporis in linguâ nonnè est sensatio extra cerebrum?

XXI. *Quintum (prædicamentum) actio, vel quæ in agente, ut amor, cognitio, vel quæ in aliâ re recipitur, ut calefactio.* Pag. 82. in Anotationibus.

*Mala divisio est (entis in decem prædicamenta) nam præterit ... plures species accidentium, ut sunt ... accidentia spirituum, cognitio, volitio.* Ibid.

Mirum hominis stuporem, qui cognitionem, & amorem, tum in numero prædicamentorum desiderat; cum in prædicamento actionis eos numerat!

XXII. *Septimum (prædicamentum) Ubi, seu locus.*

*In prædicamentis non comprehenditur Vacuum.* Utrumque ibid.

Quasi verò *Vacuum*, si est, non sit locus.

XXIII. *Omne vivens est animal.* Pag. 380. inter exempla syllogismorum. *Omnis flos est Vivens.* Ibid.

Infero: ergo omnis flos est animal.

XXIV. *Quemadmodum, ut reperiamus, quale sit subjectum, inversæ restituntur propositiones, ita quando agitur de figurâ novâ inducendâ, faciliori ordine propositiones sunt disponendæ. Quod si inversio primæ esset quinta figurâ suis regulis donata, etiam transpositio quartæ daret sextam figuram suis modis, ac legibus constitutam.* Pag. 382. coroll. 4.

Diver-



Diversitas ergò in ordine præmissarum figuram non variat.

„ Hic syllogismus = *omne animal est sensitivum; omnis homo est animal: ergò aliquod sensitivum est homo* = colligit indirectè in prima figura. „ Ibid. coroll. 5.

„ Hic autem = *omne animal est vivens; omne vivens est sentitivum: ergò aliquod sensitivum est animal* = colligit directè in quarta. „ Pag. 381.

Atqui hic secundus à primo non differt Logicè, nisi in ordine præmissarum: quarta igitur figura, ut Verneio vidètur, certa est, & nulli sano dubitabilis; ( pag. 384 ) ut ab ipso defenditur, est evidenter nulla: etenim syllogismi directi quartæ figuræ non differunt ab in directis primæ, nisi in ordine, & situ præmissarum; quæ diversitas juxta Verneium non sufficit ad novam figuram inducendam.

XXV. *Usu, & experientia edocemur, homines sibi relictos, & sine regulis ratiocinantes in infinitos errores incidere, Idcirco oportet, ut quasdam regulas habeamus, ad quas ratiocinationes nostras dirigamus, ne imprudentes decipiamur.* Pag. 359.

*Deum testor, & superos, me tametsi etiam, atque etiam de Philosophia, de Theologia, de Jure, de Historia, in amplissimis locis, & cum viris eruditissimis, & acutissimis disputaverim, nunquam artis regulis adjutum fuisse, ut aliquid probarem: sed quæ memoria suppeditabat argumenta ( aliis ingenium, Verneio memoria argumenta suppeditat ) vis quædam naturalis ad formam redigebat, iisque, quod vellem, conficiebat. Quod & plerisque viris doctis evenisse, ex eorum habeo testimonio. Ut jure mirer esse, qui affirmant, syllogismorum præcepta ad invenienda argumenta, & recte conformanda, quibus res quæque confirmetur, esse idonea.* Pag. 73.

Tu miraris esse, qui id affirmant: nos miramur

N ù

ramur

ramur esse, qui Deum, ac Superos testatus id neget, quod alibi, tanquam certum, tanquam usu, experiētiāque comprobatum affirmat: qui eam artem, quam tradit, inutilem esse juret: qui, cum doceat eos, qui sine regulis ratiocinantur, in infinitos errores incidere; testatum juramento velit, se sine regulis ratiocinari. Si nondum tui te pudet, si eadem, qua hactenus, audaciā loqui pergis, ferream habes frontem. Aliis logomachix tuæ exemplis superfedeo: hoc enim tam est palmare, atque insigne, ut nulum illi addendum videatur. Abundè hæc probant, te nec vera dicere, nec memoriā valere, quo fit, ut tibi non constes; *mendacem enim memorem esse oportet.*

## FLORILEGIUM INEPTIARUM, ET FATUITATUM.

I. **I**N puellis perceptio tantum est, *judicium, seu existimatio, aut nulla, aut prorsus exigua. Quorum si causam investigamus, reperiemus hanc esse, propterea quia ideis rerum carent: nam judicium sine ideis non habetur.* Pag. 56.

Nomine perceptionis, & idearum apprehensiones intelligit, quæ per judicium aliæ cum aliis conferuntur, ut ipse ibidem declarat. Quare sensus propositionis est, in puellulis non esse judicia, sed apprehensiones, quia apprehensionibus carent; sive illos non judicare, sed apprehendere, quia non apprehendunt.

II. *Notio substantiæ est idéa rei nobis prorsus incognita.* Pag. 84.

Idém



Idém valet , ac dicere : Notio substantiæ est cognitio rei , de qua nulla habetur cognitio.

III. *Hoc interest inter fidem , & scientiam , quòd qui habet scientiam , agnoscit prædicatum , & subjectum propositionis , & eorum nexum . . . Contra , qui habet fidem , potest ille quidem habere ideam utriusque , sed non habet ideam connexionis ; hanc enim iudicat esse propter auctoritatem dicentis . . . . Declarat Deus Christum esse Deum , & hominem : habemus nos confusam ideam Dei , clariorem hominis , sed nullam illius nexûs. Idéo illum propter auctoritatem loquentis credimus. Pag. 239.*

Sibi Verneius cohæret , dum secum pugnat : ut enim supra admisit ideam , cuius objectum sit prorsus incognitum , nempè ideam substantiæ ; ita modo admittit objectum cognitum , nempè nexum inter Deum , & hominem , de quo nulla habeatur idéa. Nam , si nullam habemus ideam illius nexus , quem credimus , nullam habemus cognitionem illius objecti , quod actu fidei cognoscimus.

IV. *Hinc non potest homo habere simul fidem , & scientiam secundum eandem rem : quia hæc inter se pugnant. At potest id ipsum , quod certo scit , aliorum auctoritate confirmare. E. g. Experimento capto cognovi , ignem esse gravem. Hinc colligo , etiam flammam. Quod si mecum reputans , quam facile homines decipiantur , dubitem , an erraverim , & legam gravissimos Philosophos id ipsum docuisse ; firmus id animo percipio , & assevero.*

Utrum scientia , ac fides inter se pugnent , incertum : illud certissimum , secundam hujus corollarii partem pugnare cum prima : si enim objectum scientiæ potest , dum scitur , auctoritate confirmari , potest etiam , cum scitur , credi ; siquidem confirmatio ab auctoritate importat manifestè fidem : tum quia nemo in assensu firmatur illius auctoritate , cui fidem non habet : tum quia confirmatio ipsa ab auctori-

thoritate est iudicium innixum dicto alterius, adeoque est fides. Quare hæc doctrina, si prematur, reddit hunc sensum. *Scientia, & fides mutuò se excludunt, ac destruunt; fides tamen tam abest, ut scientiam destruat, ut eam sæpe confirmet.*

Habes repugnantiam, vide ineptiam. Statuit Verneius contra communem Theologorum sententiam, repugnare in eodem intellectu scientiam, ac fidem; nec aliam affert rationem huiusce repugnantiz, nisi puram putam principii petitionem, videlicet, *quia hæc inter se pugnant.* Huiusce probationis insufficientiam non videt: adversæ partis argumenta, sane gravia, non curat; & cum doceat, inter se pugnare scientiam, ac fidem, vult ut fide sciamus, eas pugnare, quia scilicet Verneius id dicit! Tam facili negotio, tam nullo iudicio graves Philosophorum, ac Theologorum lites à Verneio dirimuntur. Exemplum ab ipso allatum hoc uno congruit ejus doctrinæ, quod ineptum est; probat quippe, posse nos autoritate confirmare id, de quo dubitamus, non verò, quod certò scimus; cum in exemplum afferatur res dubia, nempe gravitas flammæ, nondum satis Verneio explorata; & Verneius ipse se inducat dubitantem, an erraverit.

V. *Qui materiam penitus comprehendit, & in iudicando est exercitatus, vel sine ullis syllogismis rem, de qua loquitur, intelliget, & optime ratiocinabitur.* 388.

Optimè ratiocinabitur sine syllogismis? Ergò optime ratiocinabitur sine ratiocinationibus; siquidem apud Verneium *syllogismus est ratiocinatio verbis expressa.* Pag. 162. coroll. 4.

VI. *Si vocamus ad examen unumquemque ex illis syllogismis, quos contra regulas peccare Logici affirmant, facile deprehendemus malè concludere hoc solo nomine, quia a versatur illi notissimo axiomati: Eadem res non potest simul esse, & non esse.* Pag. 370.

Notif-



Notissimum illud quidem, sed nondum Verneio satis notum: siquidem, quid illi adveseretur, non novit. Illi is tantum adveseratur, qui ipsum negat, aut qui id adstruit, quod ab ipso negatur, nempe idem simul esse, & non esse. Syllogismus autem vitiosus, v. g. hic: *aliquis homo est albus; aliquis homo est justus: ergo aliquis justus est albus*: neque illud principium negat, neque adstruit, idem simul esse, & non esse, contra quam ab ipso statuitur. Quare non ideo est vitiosus, quia primo principio adveseratur, sed quia possumus ejus præmissas concedere, & conclusionem negare, quin illi adveseremur.

VII. *Idéa temporis clara magis, quam ea, quæ sensu acquiruntur.* Pag. 118.

Tempus scilicet, quod, juxta omnes, abditissimum ænigma est, ac, juxta Augustinum 11. Conf. cap. 14; *nemo facile, breviterque explicaverit, nemo vel cogitatione comprehendit, quid ipsum sit; cognoscitur à nobis clarius, quam quæ ingrediuntur per sensus, & intuitivè, experimentaliterque cognoscuntur.*

VIII. *Idéa justitiæ, & ipsa composita est; nam cum concipio justitiam, hæc menti objiciuntur: idéa hominis, qui suum cuique dat; idéa recipientis beneficium; idéa rei data.* Pag. 75.

In hac explicatione, quot clausulæ, tot ineptiæ. Cum, inquit, concipio justitiam, hæc menti objiciuntur, *idea hominis, & cæt.* Inepte; neque enim menti objiciuntur idéæ, sed objecta idéarum. Verùm huic accuratissimo scriptori familiare est, idéas, imagines, cognitiones, cum earum objectis confundere, ut pag. 56, ubi sic ait: *Si rerum cæterarum imagines illius animo objicerentur, profectò cognosceret: & pag. 59, ubi pro eodem usurpat cognitionem adesse menti, ac menti obversari: pro eodem etiam accipere notitiam idéarum, atque*  
*acci-*

*accipere notitiam objectorum.* At esto : obversentur menti imagines objectorum ; sintque idéæ ipsæ objecta idearum : quænam idéæ nobis obijciuntur , cum justitiam concipimus ? *Idéa* , inquit , *hominis* , *qui suum cuique dat* ; *idéa recipientis beneficium* ; *idéa rei datæ* ; *reliqua.* Adhuc ineptius , atque absurdus : non enim agimus de idéa hominis justî , qualis illa est ; sed de idéa justitiæ , quæ in suo conceptu non importat subjectum , & multò minus hominem ; cùm non homini tantùm , sed Angelis etiam , ac Deo conveniat. Quare sicut idéa justitiæ non est idéa Dei , quia justitia convenit homini ; ita non est idéa hominis , quia convenit Deo.

Excusandus tamen Verneius ; cùm idéam justitiæ confundit cum idéa justî ; siquidem *justitia* , ac *justus* , idem valent apud illum pag. 127. Excusandus etiam , quòd solùm hominem supponat , justitiæ subjectum esse : Angelorum enim , ac Dei rationem in Philosophia non habet ; uti ipse ostendit , cùm adstruit tanquam certas has tres propositiones : *nullum vivens perpetuo vivit* : ( pag. 160 ) *nullum vivens est incorruptibile* : *omne vivens est animal* : ( pag. 380. ) quas in Deo , atque Angelis falsas esse constat. Illud multò ineptissimum , ac prorsus inexcusabile est , quòd in notione justitiæ contineri velit idéam recipientis beneficium ; quasi verò justitia ex conceptu suo sit misericordia , aut liberalitas , quarum est beneficium conferre. De idéa rei datæ , quam in conceptu justitiæ includi putat , nihil dico amplius , quàm eum nimis crudè accipere definitionem justitiæ ; nam suum cuique tribuere non tam est rem aliquam dare ; quàm nemini , quòd suum est , adimere. Ex quo Verneii inscitiam , atque audaciam æstimare licet , qui enim in Lusitanis Jurisprudenciam requirit , veram justitiæ notionem ignorat.

IX. *Simplicitas significandi tantum in Verbo sum*



*sum perdurat, nec in omnibus personis, sed in prima sum, & in tertia est.* Pag. 104.

Ecquâ significationis simplicitas excogitari potest in prima, & tertia persona, *sum, est*, quæ non reperitur in secunda *es*?

X. *Vocabulum substantiæ, quia obscurum est, causa exitit multorum errorum..... Exemplo sit vox Anima..... Alterum exemplum sit vox Deus.....* Pag. 119.

Tum subjicit errores Philosophorum circa Animam, & Etnicorum circa Deum, quorum omnium causæ fuerunt hæc nomina *Anima, Deus*.

Si hoc verum habet, Sanctissimum JESU nomen in culpa erit eorum errorum, qui circa ineffabilem Christi Domini Personam fuere: quod nemo sanus concedat. Si nescis, Vernei, nullum nomen per se clarum, obscurumve est, sed tale denominatur à claritate, aut obscuritate, quâ cognoscitur ejus significatum. Porro idem significatum ab aliis clarè, ab aliis confuse cognoscitur, juxta intelligentiam, & captum cognoscentis. Quare doctrinam illa de claritate, aut obscuritate idearum, ac vocum, quam implicatissimè explicas, & infeliciter verfas Lib. 2. parte 1. & 2, tota fere inutilis est, & legi indigna. Si tamen substantiarum vocabula respectu omnium obscura sint, adhuc illa in causa non erunt, cur circa substantias erremus, aut eas obscure intelligamus: nam in sensu causali *ideo nomina substantiarum sunt obscura, quia non intelligimus, quid sint substantiæ: non contra; ideo non intelligimus, quid sint substantiæ, quia illarum nomina sunt obscura.*

XI. *Omnis propositio vera vel est nobis certò vera, vel similis veræ.... Item omnis propositio falsa vel est certò falsa, vel similis falsæ.* Pag. 183. Coroll. 2.

Utrùmque ineptè, ut si diceres: *omnis virtus vel est nobis certò virtus, vel similis virtuti: omne vitium*

*vitium vel est certò vitium, vel simile vitio. Utrùmque etiam falsò: aliqua enim propositio vera nec est nobis certò vera, nec similis veræ; nempe illa, quæ falsa omnino videatur: aliqua etiam propositio falsa nec est certò falsa, nec similis falsæ; nempe illa, quæ omnino vera, certaue appareat.*

*XII. Vocabula modorum simplicium, e. g. figura, motus, divisibilitatis, sunt clara. Pag. 121.*

Vide, quinam Verneio sint modi simplices, ac indivisibiles, figura scilicet, quæ in terminatione partium consistit; motus, qui constat partibus successivè fluentibus; divisibilitas, quæ in partium separabilitate sita est.

*XIII. Cùm vocabula abstracta occurrunt, animadvertat Lector, designare tantum idéas nostras. Lib. 2. c. 5. p. 131. Porro vocabula abstracta apud Verneium cap. cit. sunt hujusmodi: humanitas, quæ ab humanus ducitur; (juxta nos concreta ab abstractis, juxta Verneium abstracta à concretis deducuntur) justitia à justus; animalitas ab animal; & his similia. His autem similia sunt personalitas, relatio, æternitas, immensitas, misericordia; gratia, & cæt.*

Significata ergò omnium hujusmodi nominum sunt tantum idéæ nostræ: cùm autem evidentissimum sit, significata horum nominum Gratia, Justitia, Misericordia, & cæt. esse gratiam, justitiam, misericordiam, & cæt; consequens est, ut hæc omnia non sint aliquid re ipsa existens extra idéas nostras. Quare nec in homine justo erit justitia, ac gratia, quanvis Trident. id expressè doceat sess. 6. cap. 7: neque in Divinis erunt Relationes, ac Personalitates, Æternitas, Immensitas, Misericordia, Justitia, aliaque Attribute, quæ significantur nominibus abstractis; siquidem hujusmodi nomina nihil, nisi idéas nostras significant. Qui hæc deblâterat, illum ego Catholicum, aut Philosophum, aut sanum putem?

Censu.



Censuram hæc; quæ verò Verneius in eam rem édifierit, risum merentur. Ait, homines, Poetas præsertim, ac Philosophos *tam frequenter, atque imperitè vocabulis abstractis usos fuisse, vel ut aliis placerent, vel ut persuaderent iis, se reconditam eruditionem habere, ut egregiè imposuerint universo generi humano.* Nam usu vocum abstractarum factum, ut Amorem Poetæ Deum finxerint; factum, ut Philosophi affirmarent illud, *per quod Petrus est Petrus, idest, hic homo, non alius, esse hæcceitatem suam, seu Petreitatem, seu personalitatem, & de hac sunt loquuti, perinde quasi res esset, quæ existeret, . . . . Item esse nescio quam rem, quæ vocatur natura humana, aliam, quæ sit forma, aliam, quæ sit persona, cætera.*

Ut autem intelligeramus Verneium non solum insanire, sed ~~furere~~, invéhitur in eos, qui milesio sermone narratiunculas scribunt, præcipuè in Joannem Barclaium, & Laurentium Gratianum, quos jubet contemnere; in plerósque Historicos, nominatim in Curtium, Livium, Sallustium, (superi: quos veros?) in Oratores, in omnes Philosophos scholasticos, qui scilicet *nec aliquid commode explicant, nec intelligi possunt*: in Cartesianos etiam, ac Gassendianos, sed paulò mitius; omnes hoc nomine, quòd *verbis utantur, quibus vel abstracta solum, vel nulla inest significandi vis.* Quid est aliud ~~furere~~, si hoc non est? Quænam reconditæ eruditionis ostentatio in usu vocum abstractarum, quibus docti, indoctique utuntur? Quænam humani generis deceptio ex eo, quòd idæ abstractæ nominibus itidem abstractis exprimantur? Quid voci *Amor* cum fabulis Poetarum? Quid nominibus *hæcceitas, personalitas, natura humana, forma, persona* cum erroribus Philosophorum? Quorsum scriptores Clarissimi in scenam adducuntur, & imperita manu atrociter castgantur? Si illi in eo peccant, quòd vocibus

O ù

abstra.

abstractis utantur, peccant omnes, qui loquuntur; nemo enim sine iis loquitur, nequidem Verneius, qui hoc ipso cap. vocabula abstracta supra quinquagies usurpat. Sin aliud eorum vitium est, quid ad rem?

Quoad significationem huiusmodi nominum, consule, Vernei, vel ipsos Logicæ tyrones, & ab iis disces, re ipsa esse, quod significatur, v. g; hac voce *Petraitas*; sed non esse eo modo, quo significatur: siquidem eâ voce significatur præcisè singularitas Petri; ipsa verò non est singularitas Petri præcisè, sed totus Petrus. Eundem in modum significatum huius nominis *Iustitia* convenit Deo per identitatem; quid enim certius, quàm inesse Deo iustitiam, *qua ipse est Iustus*, ut loquitur Trid. Sess. 6. c. 7: sed iustitia, prout significatur hoc nomine, est iustitia præcisè; ut in Deo, atque in se, est totus Deus. Quasi Philosophi Scholastici non errant, cum asserunt, extare in rebus ea, quæ huiusmodi vocibus significantur: sed errant nonnulli, à plerisque aliis rejeçti, qui putant res, aut modos, qui significantur seorsim, ac præcisè, hoc ipso extare seorsim, ac solitariè. Hæc tibi ab iis discenda, quos tu docendos suscepisti.

*XIV. Verè, & summo doctissimorum hominum consensu hoc dico, præcipua Logices decreta non ab præceptoribus in schola, sed ab nutricibus in cunabulis teneris mentibus instillari oportere. In Præfatione ad Lusit. Adolescent.*

Assentior doctissimis hominibus, modò lege caveatur, nequa sit puerpera, aut nutrix, quin Logicæ examen subeat, probetque se callere præcipua Logices decreta. Cum verò hæc à nullo melius, quàm à Verneio tradantur, auctor sum, ut nutrices omnes teneantur Verneianam Logicam discere. Illius tamen titulum mutare oportebit; non enim inscribi debet: *ad usum Lusitanorum adolescentium, sed ad usum Lusitanarum nutricum.*

*XV.*



XV. *Vocabula, quæ affectivæ animi, & sensuum declarant, obscura.* Pag. 117.

Immo verò clarissima, uti eorum significata; nihil enim vividius, clariusque percipimus, quam animi, ac sensuum affectiones, quas in nobis-met-ipsis experimur.

Probatio ineptior est, quam assertio. *Non omnes homines, inquit, eodem modo objectis externis afficiuntur. Ego lusciosus sum . . . . Sunt qui res aliis ingratas summâ cum voluptate degustant. Odor quidam nobis gratus est, qui puerperis est insuavis . . . . Videmus quosdam, viso serpente e. g, non commoveri; quosdam levissimè, vehementer vero alios, alios motu examinari . . . . Hi veluti gradus eodem vocabulo nequeunt explicari. Quidam celerius percipiunt, ardentius amant; & cæt.*

Quorsum hæc ad rem propositam? Non omnes iisdem rebus delectantur: concedo: ergò hæc vox *delectatio* obscura est: nego conseq. à Verneio ipso negandam. Nam etiam non omnia corpora eandem figuram habent, & tamen nomen *figura* clarum illi est pag. 121. Quidam celerius percipiunt, quidam tardius: non nego: quid inde? Ergò vox *perceptio* non est clara? Nego sequelam: nam etiam aliqua celerius, aliqua tardius moventur; & tamen vocabulum *motus* Verneio clarum est *loco cit.* At ex voces non declarant illos veluti gradus: fateor, sed neque illos significant: nulla autem vox obscura est, eò quod non declaret, quod ipsa non significat.

XVI. *Mons est magnus hoc valet, esse maximum eorum montium, quos videmus.*

*Petrum belle, ac disertè loqui hoc præfert, belle, ac disertè præ omnibus, quos audivi, loqui.* Pag. 126, & 127.

Ex montibus ergò, quos videmus, unus tantum erit magnus, nempe qui maximus fuerit. Ex hominibus, quos audivimus, aut legimus, unus tantum

tantum erit disertus, nempe qui omnium sit disertissimus, puta Verneius, aut Tullius. Idem in aliis servandum. Unus tantum erit vir bonus, ac justus, unus tantum ingeniosus, ac doctus, qui scilicet omnium optimus, ac justissimus, omnium ingeniosissimus, aut doctissimus fuerit. Veror tamen, ne hæc doctrina non cohæreat cum hujusmodi propositionibus à Verneio adductis pag. 139 : *Pompilius fuit bellicæ artis peritus; at non equè peritus, ac Sertorius. Lucanus est bonus Poeta; at non equè bonus, ac Virgilius.*

XVII. *Scimus intimo sensu, nos percipere dolorem; quo gradu verò, nisi posteaquam id meditati sumus, nescimus.* Pag. 222.

Qui igne comburitur, aut equaleo torquetur, maturam scilicet meditatione opus habet, ut sciat se vehementer dolere.

XVIII. *Hujusmodi judicia: ignis urit: homo non est arbor: sunt ea quidem singularia, sed ex eis ducuntur universalia.* Pag. 225.

Ex terminis liquet, judicia hæc: *ignis urit: homo non est arbor*: non esse singularia, id est, de subjecto singulari, sed indefinita de subjecto communi; non minus, quam hæc: *homo est vivens: homo est albus*: quæ à Verneio afferuntur in specimen propositionum indefinitarum. Pag. 144.

XIX. *Si Petro huic posset adjungi aliquid, vel minimum, quod antea non haberet, non esset hic Petrus, & individuum, sed aliud.* Pag. 87.

Si igitur huic Verneio ex tot fatuitatum pudore, ac verecundiâ, rubor accedat, jam non erit hic Verneius, sed alius. *Si, inquit, Petro huic posset adjungi aliquid, quasi scilicet non possit.* Immutabilis, opinor, est hic Petrus: nihil illi, quod antea habuerit, detrahi; nihil quod antea non haberet, adjungi potest. Immutabilis autem? Immo ita obnoxius mutationi, ut nunquam idem homo sit:



### III

fit: sive enim calefiat, sive intepescat; sive de novo quidquam velit, sive nolit; jam non est ille Petrus, qui fuerat, sed alius. Quælibet accidentaria circa illum mutatio eum destruit, nec destruit solum hunc Petrum, sed Petrum absolutè; Petrus quippè, & hic Petrus idem sunt. *Joannes*, inquit Verneius pag. 144, nihil amplius significare potest, quam hunc Joannem.

XX. *Ratione formæ suis compositæ illæ propositiones, quarum una pars est objectum alterius; ut cupio, P. C; me esse clementem... Atque hucusque de illis, quæ sine ullâ dubitatione compositæ sunt* Pag. 138.

Hæc igitur propositio: *Petrus cognoscitur*: sine ullâ dubitatione composita erit ratione formæ; siquidem Petrus, qui subicitur, est objectum cognitionis, quæ prædicatur. Si dicam: *Petrus cognoscit*: propositio erit simplex: si dicam: *Petrus cognoscitur*: erit composita; quia Petrus in primâ est subiectum, in alterâ objectum ejus cognitionis, quæ de ipso affirmatur. Atqui ex terminis patet, tam simplicem esse unam, quam aliam.

XXI. *Quid clarius, quàm se esse, se esse cogitantem? Tamen hujusmodi idææ non nisi post sensum assiduum usum, & post multam meditationem acquiruntur. Nemo enim cogitat, se esse, se esse cogitantem, nisi qui studiis contritus est, utque in eâ etate, quæ meditationi est accommodata..... Atque, ut de me ipso loquar, nunquam mihi venit in mentem cogitare me esse, & cogitare, nisi posteaquam id in libris Philosophorum legi, & ab aliis, qui docebant, accepi.* Pag. 58.

Quotquot Verneium adhuc non nostis, si ipsum nosse vultris, audite. Verneius, si ipsi credimus, tum primùm animadvertit, se esse, & cogitare, cum id apud Philosophos legit, & à Præceptoribus audivit. Ad hoc usque tempus ita à se alienus,

alienus, & vitæ suæ ignarus vixit, ut nunquam illi in mentem vénerit, se in mundo esse, aut quidquam cogitare. Nunquam, opinor, se in speculo vidit, nunquam sibi placuit, nunquam suam in se cogitationem reflexit. Noverat, se Verneium vocari; sed, an Verneius esset, non noverat. Christianam doctrinam callebat; sed, se à Deo existentiam accepisse, ignorabat. Sciebat, se moriturum; se tamen vivere, nesciebat. Grammaticam didicit, ad Philosophiam accessit, eosque in Logicâ proventus fecit, qui condiscipulis admirationi fuérunt. Sed, cùm studiis operam daret, ac tam multa disceret, nunquam animadvertit, se studendo cogitare, se discendo percipere. Interim ita impius vixit, ut nunquam cogitaverit, se Deo vitam debere: ita innocens, ut nulla impura cogitatio, quam quidem animadvertit, ejus inceslerit mentem.

Ventum ad ætatem meditationi accommodatam, eam scilicet, in quâ judicium maturitatem obtinet suam, cùm viro studiis contrito cogitare per Verneium jam licet, se esse, & cogitare. Nentum quidem Verneius, studiis alioquin subactus, eam cogitationem meditando acquisivit, aut suo Marte comparavit. Etiam num se esse cogitantem nesciret, nisi id in Philosophis legeret, & à Præceptoribus audiret. In quo duo mihi suboriuntur scrupuli. Primus: apud quem Philosophorum legatur, Verneium esse, & cogitare? Alter: quomodo id primum à Præceptoribus didicit, si hoc ipsum apud Philosophos jam legerat: aut quomodo id primum legendo cognovit, si hoc ipsum à Præceptoribus jam audierat? Simul, opinor, id legit, atque audivit, idque in pluribus libris, atque à pluribus Præceptoribus. Opus fuit, ut non unus tantum Magister, sed plures, admotis Philosophorum libris, Verneium altè indormientem succuterent, ipsique inclamarent: *Verneius est, Verneius cogitat.*



*cogitat.* His vocibus è somno expergefactus intellexit enim verò, se esse, & cogitare, uti librorum literarum, & Præceptorum voces testabantur. Et miramur, si nondum satis se novit, qui tam serò cæpit se nosse? Miramur, si parum consideratè cogitat, quid sentiat, qui tandiu non sensit, se cogitare: aut si opinionum suarum passim obliviscitur, qui suarum cogitationum ignarus tantum temporis vixit? Scio, Verneium non ita à se alienum vixisse, ut de se ipse profitètur; sed hoc ipso insaniam convincitur, quia id de se testatur, quod, si verum esset, eum amen-  
tissimum esse oporteret.

Ohe, jam satis est: non sum *Hercules*, qui totum *Augiæ* stàbulum repurgandum suscipiam. Quæ attuli, abundè sufficiunt, ut Verneii jactantia detumeat, & Verneiana in Philosophiam seditio penitus concidat. ~~Cætera~~ ad spicilegium refero; ut, cum respondenti respondero, novus veniam.

F I N I S.

# E R R A T A.

Pag.	Lin.	Errata.	Corrigenda.
7.	26.	unius ovīs	<i>unius Ovis</i>
9.	6.	poprietates	<i>proprietates</i>
14.	10.	juxtā quam	<i>juxtā quem</i>
16.	25.	secundum	<i>secunda</i>
Ibidem	28.	primum	<i>prima</i>
Ibidem	28.	secundum	<i>secunda</i>
Ibidem	34.	proposito	<i>tropos itio</i>
28.	28, & 29.	sic enim est; mira illa lex	<i>sic</i> <i>(enim mira illa lex</i>
32.	29.	primum	<i>primus</i>
44.	11.	significat	<i>significet</i>
49.	33.	suppone	<i>se pone</i>
51.	in tit.	spetantes	<i>spēctantes</i>
52.	14.	addixisti	<i>addixistis</i>
55.	23.	objeētum	<i>objectum</i>
64.	11.	contrictionis	<i>contritionis</i>
Ibidem	in tit.	color	<i>calor</i>
67.	3.	illa	<i>ille</i>
75.	16.	totus, est hausit	<i>totus est,</i> <i>(hausit</i>
98.	10.	pag.	<i>pag. 66.</i>











